5.

ΣΥΛΛΗΨΙΣ

SCRIPTORUM,

Poſt

Communicatas

Per

DOMINUM SUPERINTENDENTEM

Miniſterio Curlandico

MEDITATIONES THEOLOGICAS,

inter

Authorem earum

Et

Quosdam Dominos Præpoſitos

controverſorum.

EPISTOLA AUTORIS

Ad

Omnes Dominos Præpoſitos,

Unius ejusdemque tenoris perſcripta.

Maximè Reverende, Doctiſſime atque Clariſſime Domine Præpoſite, Fautor in CHRISTO, ſummo honoris ac juſto venerationis cultu venerabilis!

EST mihi: quod inter ſummos fere honores reponam: quod in re Sancta ad Maxime Rev. Dignit. veſtram, ſcribendi Copiam nactus ſim. Certior enim tam ex Summe Rev. Domini Superint. quam etiam multorum aliorum doctiſſimorum Virorum relatione factus: quod MEDITATIONES meæ THEOLOGICÆ ſuper Diſcordiam de Benedicendi formula in Rev. Curlandiæ MINISTERIO ortam, eidem, præprimis autem Maxime Reverendis Dominis Præpoſitis jam ſint communicatæ; non potui: quin me iis, eorumque Favori & Amicitiæ, amiciſſime eos hiſce pagellis compellando, devoveam. Fateor enim: quædam in Meditationibus iſtis contineri: quæ multis obſcura videbuntur, adeoque illi ex eo verba quædam ſenſumque eorum ſiniſtre interpretandi anſam ſunt arrepturi. Quapropter ſummopere neceſſarium eſſe duxi: NOTAS quasdam ſcribere, easque tam veſtræ Maxime Rev. Dignitati, quam etiam cæteris Dominis Præpoſitis transmittere: imo in ſinum Benevolentiæ veſtræ confidenter quaſi effundere: quo mens mea omnibus tanto dilucidior pateat, adeoque Ego in pio meo propoſito, ſcopo atque fine, me pios æquosque Cenſores habiturum, ſperare queam: Cum nil aliud intendam, quam quod toti Eccleſiæ Curlandicæ Noſtræque Piltinenſi perquam foret ſalutare. Moderetur igitur Summus rerum Moderator DEus totum hoc negotium, omniumque in eo occupatorum animos! ut finis iſte ſalutaris mihi præfixus ab omnibus pie & ſine ullo privato Affectu perpendatur, accordetur & promoveatur. Cui fini Ego Max. Rev. Dig.

Dig. Veſtram ſoſpitem atque incolumem à Soſpitatore Jeſu Chriſto in Eccleſiæ ſuæ magnum emolumentum ; Domus autem & Familiæ veſtræ exoptabile incrementum, ſervandam, ex pio Cordis affectu, Chriſto commendo, tanquam de pio Veſtro erga me affectu non tantum gaviſurus & gloriaturus, verum etiam usque ad extremum vitæ meæ halitum conſtanter perſeveraturus

Veſtræ Max. Rev. Dignit.

Dabam in Ædibus Parochianis Piltinenſibus die 29. Sept. Ao. 1719.

ad preces Charitatemque indefeſſe devinctiſſimus

Chriſtophorus Sennertus,
Paſt. Piltinenſis.

RESPONSA

Quorundam Dominorum Præpoſitorum,

Unà

cum Controverſiis mihi motis,

Et pertractatis.

Vir admodum Reverende, Præclariſſime atque Doctiſſime Domine Paſtor, Fautor ac Frater in CHRISTO conjunctiſſime!

TRaditæ ſunt mihi Literæ tuæ, Vir Admodum Reverende, una cum Notis in Meditationes tuas nuper nobis communicatas, Formulam Benedictionis Num. VI. c. concernentes. Fateor aperte & ingenue: Reverendam tuam Dignitatem non exiguum onus ad diſſentientium animos, culpa Summe Reverendi Domini Superintendentis divulſos, complanandos in ſe ſuſcepiſſe. Verum vix credo: cæ-

 teros

teros Dominos Præpoſitos authoritatem tuam amplexuros fore. Tantum abeſt, ut intentioni tuæ adſtipulaturi ſint, ut potius ἐπέχειν eligentes, docuerint: Reverendam tuam dignitatem in caſſum laboraſſe; non certe ex defectu eruditionis ad refutandas tuas Meditationes, ſed partim, quia non de tempore, ejusmodi litigiis ultro ſe immiſcere, partim, quia Meditationes tuæ noſtrum Controverſiæ ſtatum non tangunt, partim, quia Superiorum Noſtrorum Voluntati & Mandatis in maximum vergunt præjudicium: ac ſi Perſona tua plus valeret apud nos, quam Perilluſtres Domini Regentes & Conſiliarii, qui vices Sereniſſimi obeunt, & quibus nos in rebus licitis & Conſcientiæ haud adverſantibus obedientiam denegare minime valemus. Interim Succeſſus temporis revelabit, quid Conſilii reliqui Domini Præpoſiti ad petitum Reverendæ tuæ Dignitatis ſint capturi. Redonet mihi DEus animi tranquillitatem, tum non erit, quod dubitet de mea promtitudine, utpote, qui Tuam Reverendam Dignitatem quam maxime æſtimat, & tutelæ Divinæ commiſſurus, quoad vivit, permanet Tuus,

Vir admodum Reverende,

Ad quævis Precum officia obſtrictiſſimus

Dabantur ex Parochia Sahtenſi die 4. Octobr. a. 1719.

Jacobus Melchior Bilterlingius, Præpoſ. Candav. & Paſt. Sahtenſ. & Struttelenſis.

Viro

Admodum Reverendo, Præclariſſimo, Doctiſſimoque Domino, Domino Chriſtophoro Sennerto, Paſtori animarum Piltinenſium vigilantiſſimo meritiſſimoque, Fautori ac Fratri meo in CHRISTO conjunctiſſimo, hæ pateant perquam humaniſſime, in Parochia Piltinenſi.

Gratiam

Gratiam & Pacem ab Eo, qui eſt, erat, & venturus eſt, per D. N. J. C.

Admodum Reverende, Clariſſime atque Doctiſſime Domine Paſtor, Amice & in CHRISTO Confrater conjunctiſſime!

AD literas ab Admod. Rev. Tua Dignit. die 29 Sept. exaratas, affectus tui erga me benevoli teſtes, citius reſpondiſſem, niſi partim itinera, partim officii labores hucusque concatenati, moram injeciſſent. Jam igitur aliquali quieti redditus, paucas haſce lineolas expedio, ne deſideratam a R. T. D. cenſuram Scriptorum tuorum omnino declinaſſe vel diſſimulaſſe videar. Occurrunt Vir Admod. Reverende in Meditationibus Tuis Theologicis ſic dictis quam plurima, aſteriſco notanda. Ne tamen rigidum nimis cenſorem agere, & in arenam Academicam Tecum deſcendere videar; non omnia ad vivum reſecanda, ſed id ἐν πρώτοις monendum eſſe duxi, in ipſo Tractatus tui frontiſpicio, atque ſubinde in ipſo Tractatu, Miniſterio noſtro Eccleſiaſtico DISCORDIÆ, & quidem per mirabilem metamorphoſin (quam τομωτέρως καὶ τετραχηλισμένως exenterare ſuperſedeo) EX CONCORDIA ORTÆ notam, imo maculam inuri; cum tamen & mentes Unitate Doctrinæ, & corda noſtra vinculo fraternæ charitatis haud interrupto conſtantiſſime per DEI gratiam adhuc ſint conjuncta. Cui concordiæ nihil obſtat, quædam rituum differentia, circa quam vel maxime verſatur. Libertas Chriſtiana, in cujus præ-

judicium nihil debet admitti, ita, ut novo jugo onerentur Conſcientiæ 1 Cor. VII, 23. Sicut e contra uſus libertatis ita temperari debet, μὴ εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ. Gal. V, 13. ne imperiti offendantur, & propter abuſum libertatis fiant iniquiores veræ Doctrinæ Evangelii 1 Cor. X, 23. VIII, 13. Rom. XIV, 21. Jam vero notorium eſt, ſervare nos Unitatem Spiritus in vinculo pacis Eph. IV, 13. Abſit igitur a Miniſterio noſtro Schiſma vel Diſcordia, quæ male nobis in iſto Scripto impingitur. Et vanum Tibi, Frater chariſſime, negotium faceſſis in extinguenda quadam Diſcordiæ flamma, quæ (ex parte certe noſtra) nunquam exarſit, licet ex parte Maxime Reverendi Domini Superintendentis noſtri, immutatio Formulæ Benedictionis Eccleſiaſticæ in quibusdam Provinciæ oris diſſimilitudinem ritus hujus in Eccleſiis, non tantum Curlandicis & Semigallicis, ſed etiam Piltinenſibus pepererit; quæ tamen nihil obſtat; quo minus ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζωμεν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Rom. XV, 6. Quod etiam ſecundum Syllabas & verſiculos omnes futuris temporibus, auſpicio Epiſcopi noſtri ſupremi, conſenſu omnium Eccleſiæ ordinum, effici poterit.

Quod autem tuas, Vir Admod. Reverende, Meditationes (quæ utinam meditationes manſiſſent!) toti Miniſterio noſtro, tanquam litis novæ materiam propinaſti, nullius Theologi pacifici calculo comprobabitur. Diſcordiam Adiaphoriſticam vocas, quæ inculpata rituum varietas eſt, utque rem in ſe utrinque bonam odioſo Diſcordiæ nomine, traducere jure videaris, moralitatem eidem conaris affingere, ad inſtar Medici, vulneris periculum exaggerantis, ut medelæ ſuæ locum conciliet honoratiorem. Intempeſtivus & non ſecundum Scientiam iſte Zelus eſt, quo Eccleſiam externe jam ſatis afflictam concutiunt hujusmodi controverſiæ citra neceſſitatem motæ. Novam ſane & inauditam hactenus opinionem in Scenam producis, ipſam formulam, populo Iſraëlitico ſolenniter benedicendi, Aaroni & ejus filiis a DEO præſcriptam, ad legem moralem reducendo, adeoque Chriſtianos omnes ad neceſſariam hujus formulæ obſervationem obligando. Quid aliud hoc ipſo attentato, quantum in Te eſt, facis? quam quod libertati noſtræ Chriſtianæ in adiaphoris legis Leviticæ jugum audes imponere, contra interdictum Apoſtolicum Act. XV, 10. Debuiſſet Admod. Rev. D.

Tua

Tua attendere ad eruditiſſimi Domini Anonymi (quem leviſſime perſtringit, atque nervum argumenti ipſius intactum relinquit) diſtinctionem accuratam, inter formulæ benedicendi utriusque Eſſentiale, ſeu Benedictionem ipſam in genere, quæ utique non quatenus eſt formula, ſed quatenus eſt Benedictio ad Legem Moralem de vero Nominis Divini uſu pertinet, in quo omnes benedicendi Formulæ conveniunt; & inter formulæ utriusque accidentale, ſeu formam externam in certo verborum conceptu conſiſtentem, in qua conſiſtit Ceremonia Eccleſiaſtica, quæ Aaroni & filiis ejus præſcripta ipſos & omnes Sacerdotes V. T. obligavit, fidelibus autem in N. T. libera relicta eſt: Unde & hi libertate hac uſi ſunt usque huc, nec patientur ſibi aliam ſub opinione neceſſitatis moralis tanquam pro imperio obtrudi.

Ut autem de notis quoque tuis, Vir admod. Reverende! tenue meum interponam judicium, liceat mihi pace tua deſtruere fundamentum iſtud, quo tua nititur Sententia de formula benedicendi Aaronica, quod ſub Lege ſit non ceremoniali, ſed morali, non ad mores Hominum, ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante. Hanc, inquam, "Sententiam tuam inde niteris confirmare: *quia DEUS ſibi ipſi Lex* "*eſt in Eſſentia ſua & voluntate. Si Lex, utique præprimis moralis, juxta* "*quam ſeſe in Eccleſia & erga eam gerit, &c. Hinc quemadmodum DEUS* "*nulli ſubjacet definitioni, ita etiam hæc Lex Moralis definiri nequit: quia* "*DEUS ſibi ipſi eſt iſta Lex.* Primum fateor, me hic nullam invenire connexionem medii Termini cum Subjecto & Prædicato (vel nimis longe petitam, cum vera Demonſtratio conſtare debeat, ex veris, primis, & immediatis, & cauſis concluſionis) ſed potius uni Parodoxo addi alterum. Deinde DEUM ſibi ipſi & Eccleſiæ legem eſſe, nimis confuſe, immo temere (quoad Subjectum principale) aſſeritur, ſi ita crude & non cum grano Salis proponitur. Sciendum igitur eſt: quod ſicut ſumma Poteſtas legislatoria reſpectu omnium Creaturarum penes ſolum DEUM eſt: ita ipſe DEUS tanquam ſummus rerum Arbiter ἀνυπεύθυνος nullius legis vinculo ligatus ſit, propter ſummam & abſolutam ſuam libertatem. Nam ſicut Eſſentia ejus immenſa nullis includitur terminis; ita voluntas ejus liberrima nulla conſtringitur lege proprie ſic dicta. Nam Lex datur a Superiori, poteſtatem legislatoriam habente, & obligante eum, cui datur

datur, vel ad obedientiam, vel ad pœnæm. Talis autem obligatio in Ente liberrimo &nulli ſuperiori poteſtati ſubjecto locum habere nequit. Nam & ipſum DEUM ſe ipſo Superiorem, adeoque ſibi legem aut legislatorem eſſe, contradictionem in adjecto involvit. Profecto quam impoſſibile eſt, idem quatenus idem ſui ipſius cauſam eſſe, tam impoſſibile eſt, DEUM ſibi ipſi dominari, atque ſibi ipſi Legem eſſe, niſi fatum illud Stoicum, cui multi Dii neceſſitatis vinculo colligati, ſubjecti eſſe credebantur, ex Orco in Eccleſiam reducere velimus. Præterea in eſſentia Divina propter abſolutam unitatem non eſt aliud atque aliud, quanquam Perſonæ Deitatis propter relationem ad ſe invicem ſint aliæ atque aliæ. Proprie igitur de uno in eſſentia DEO dici nequit: qvod in Eſſentia regulam qvandam proprie dictam agnoſcat, ſecundum qvam agat & operetur. Attributa autem ejus eſſentialia ſunt ταυτότι cum una eſſentia divina, nec realiter, ſed noſtro tantum concipiendi modo differunt. Qvemadmodum igitur homines legem a Superiore latam pro menſura ac regula actionum ſuarum agnoſcunt, ita DEUS, qvo nihil datur ſuperius, ſibi ipſi *NB. quaſi Lex eſſe* intelligitur, qvando ſecundum attributa ſua, id eſt juſte, ſapienter, clementer, potenter &c. agere vel operari dicitur. Eadem ratione nec mores & conſvetudines proprie dictæ, qvæ alias apud homines vim legis obtinere vulgo dicuntur, in DEUM cadunt, utpote qvi non ex conſvetudine agit, neqve ex affectuum moderatione, in qva alias apud homines virtus moralis conſiſtit, ſed ex profectione attributorum ſuorum eſſentialium.

Non datur ergo Lex Moralis proprie dicta, in ipſo DEO, juxta qVam DEUS ſeſe in Eccleſia & erga eam gerat. Secus autem ſe res habet cum Eccleſia, qvæ utiqve non tantum Divinis, ſed etiam humanis legibus & conſvetudinibus tanquam morum regulis regitur, juxta ordinem ab Apoſtolo reqviſitum 1 Cor. XIV, 40. *Et quidni Lex Divina Moralis* (æque ac aliæ leges Divinæ poſitivæ, ſc. ceremoniales & forenſes, qvæ itidem tanqvam opera Divina extra DEI Eſſentiam exiſtunt) *definiri poſſit?* Infinita ſane eſt inter DEUM & ipſius opera diſtantia (non localis, ſed eſſentiæ). Unde ſicut a DEO ad creaturas & homines, ex qvibus conſtat Eccleſia; ita etiam a DEO ad leges atque inſtituta DEI (qvantum ad hoc, de qvo h. l. qvæſtio eſt)

N.

N. V. C. Vota qvod attinet generalia Pſ. L, 15. ea ad legem moralem pertinere, nemo ſanus inficias iverit. In ſpecialibus autem votis, de qvibus Num. VI. agitur, eadem, qvæ ſupra in formula Benedictionis Eccleſiaſticæ notanda eſt diſtinctio: inter morale & ceremoniale, vel (ſi latiori termino uti mavis) poſitivum in votis hujusmodi contentum. Ad legem moralem ſpectat ipſa ſeparatio ſui ad cultum Jehovæ acceptum Rom. XII, 1. 2. Ad poſitivam autem ſpectant Leviticæ iſtæ circumſtantiæ Num. VI, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. expreſſæ. Sic etiam formulam illam Benedictionis Sacerdotalem Num. VI. 22. 23. 24. 25. eſſe juris Divini concedo; ſed poſitivi non moralis. Qvod autem iſta tam minus per libertatem Chriſtianam immutari, vel potius ejus loco alia poſſit adhiberi, qvam ipſa lex moralis, durum eſt poſtulatum, cui ſi qvis aſſenſum præbeat, ipſos S. Apoſtolos aliis benedicendi formulis utendo graviter hallucinatos eſſe, fateri cogetur. Ultimum autem Parodoxon, qvod *is, qui re utitur completa, magis illius fructum & effectum aſſequatur*, qvam is, qvi re utitur incompleta, ſi qvidem ſi ad Benedictionis formulas (trimembrem ac bimembrem) applicetur, cum ut argumentum dialecticum aut Rhetoricum, non apodicticum adducatur; vereor, ne, ſi ſimplicioribus inculcetur, ſcrupulum aliqvem animis eorum injiciat, qvaſi hactenus a ſuis Paſtoribus uberiori fructu & effectu ſalutari defraudati ſint; ab illis vero, qvi rem penitius inſpicere & æqva lance trutinare valent, in hac opinione aliqvid Judaicæ & Phariſaicæ ſuperſtitionis hærere deprehendatur, ac ſi in vocibus atqve Syllabis pluribus plus qvoqve fructus & effectus lateat. Hanc autem opinionem egregie perſtringit Salvator Matth. VI, 7. XXIII, 14. Precum etenim & Benedictionum vis non in πολυλαλία; ſed in Spiritu & veritate conſiſtit. Joh. IV. 24, ſi fiant, non tam extenſive, qvam intenſive. Jac. V, 16. Hæc pauca pro temporis ratione ad notas R. T. D. mihi transmiſſas notaſſe ſufficiat! De cœtero Adm. Rev. D. Tuam amanter & fraterne rogo, ne, ſi qvid hiſce meis literis, veritatis exprimendæ cauſa liberiori calamo in chartam conjeci, in malam partem interpreteris, neqve ſcripta talia porro divulgando, litibus infinitis anſam præbeas, ne Eccleſia Orthodoxa Adverſariorum criminationibus exponatur, nec infirmis in fide ponatur offendiculum: qvod DEUS

Ter Opt. Max. avertat! cujus Paterno ductui, omnipotentiqve Patrocinio Te, tuamque, vel potius Christi Ecclesiam fidei tuæ commissam, commendans permaneo

Adm. Rev. Dignit. Tuæ

Ad quævis pietatis & charitatis officia devinctissimus
in Christo Frater atque Symmysta

Goldingæ,
D. 13. Nov.
ao. 1719.

Bernhardus Johannes Neresius,
Præp. Gold.

Dem Wohl-Ehrwürdigen/ andächtigen und Wohlgelahrten Herrn/ Herrn Christophoro Sennerto, Treu-belobten Pastori der Piltenschen Christl. Gemeine/ Meinem insonders Hochgeehrten Herrn und Amts-Brüderl. Freunde

im Piltnischen Pastorat.

RESPONSIO.

I. N. D. I. C. A.

Τῇ

Α. Καὶ ω

ὤντῳ!

Gratiam & Pacem ab Eo Ipso mihi exoptatam cordicitus reciproco!

Vir Maxime Reverende, Clarissime atque Doctissime Domine Præpositе, Fautor imo PATER in CHRISTO, merito venerabilis!

TAndem post diuturni silentii spatium, M. R. T. Dignitatem mihi calamo obloquentem audire, imo ex literis tuis 17. Nov. vesperi acceptis videre, datum est; nescio hactenus:

nus: quid huic ſilentio Cauſæ ſub fuerit ; jam autem a Max. Rev. Dignit. tua de ea certior facto, non parum ad votum. Ita enim conjecturis de re aliqua fruſtra ſæpius indulgemus ut eventus rei nos aliter edoceat : quod mihi peræque accidit. Ratus enim, me imo loco poſitum, & a quibusdam aliis, exiguæ authoritatis habitum, a Tua ſublimitate nil aliud conſecuturum: quam eruditum ſilentium : quod etiam M. R. T. Dignitas hucusque præſtitit, non ſine erudito, hinc inde apud me, collato judicio. Sed dum calamo mihi obloquendo, præſtitum hactenus ſilentium rumpis, ita fari inchoans :

> Jam igitur aliquali quieti redditus, paucas haſce lineolas expedio, ne deſideratam a R. T. Dignitate Cenſuram Scriptorum tuorum omnino declinaſſe, vel diſſimulaſſe videar.

ne Te e contra tædeat : me calamo tecum colloquentem audire, imo videre ; at nonniſi amanter, decenter & relligioſe ; ſepoſito omni partium ſtudio, & ſolius Divinæ gloriæ & ſanctiſſimæ veritatis amore percitum. Non ſatis demirari poſſum : quod omnes Domini Præpoſiti, quorum Literas Reſponſorias hucusque vidi, uno calamo quaſi venditent : me Cenſuram Scriptorum meorum, aut communicationem judicii ab Eis expetiviſſe, quod etiam in tuis Vir M. R. literis deprehendo ; cum tamen nullibi locorum, tam in MEDITATIONIBUS meis Theologicis, quam etiam in Notis & Literis ne γρῦ quidem ejusmodi Petiti exiſtat. Quid enim mihi cauſam ejusmodi Petiti advos inſtituendi ſuppeditaret ? qui jam Adverſarii exiſtebatis Benedictionis trimembris a Summe Rev. Domino Superintendente jam jam introductæ : quam eandem ego in Scriptis meis defendo : argumentis irrefutabilibus legitimam eſſe demonſtro : totique Miniſterio Curlandico ſuſcipiendam ſvadeo. Quo igitur Jure mihi iſtud deſideratum ſeu petitum ab ipſius materiæ, de qua ſcripſi, ipſiusque Scripti mei Adverſariis, tribui poſſit, non video. In eo, (ſi hoc factum eſſet) idem me feciſſe putandus eſſem : quam Is, qui rem aliquam revera affirmat ; ab altero autem rem iſtam negante, Cenſuram veritatis rei peteret aut deſideraret ; quod perquam abſonum eſſet ! Quare me non latet : cujus afflatu hæc gerantur : ut etiam Domini Præpoſiti, non tantum injuſta tali impoſitione me onerent ; ſed quo etiam illi re-

ſpiciant: ut nimirum me apud æquos & a partibus eorum alienos, ſuſpectum reddant. Quod tamen neque Juſtitiæ Perſonæ meæ, neque Rei coram DEo aliquid adimit. Verum ne exhorreſcere videar (quod M. R. T. Dignitas mihi

> quam plurima afteriſco notanda objicit; neque etiam rigidum nimis Cenſorem agere, & in arenam Academicam mecum deſcendere vult, non omnia ad vivum reſecatura.)

ideo firmiter aſſevero: me animoſe & confidenter cuique obviam iturum nunquam detrectare, aut rigidum aliquem propterea Cenſorem experiri aut in Arenam Academicam cum aliquo deſcendere, ut omnia ad vivum reſecentur. Parum enim aut nil plane conducit: ſi adverſæ partes in re tam ardua & totius Eccleſiæ ſalutem concernente, ita inter ſe diſceptant, ut una ad forum & judicium S. Scripturæ provocans; altera autem privatis affectibus ſe mancipans, imo γλαύκωμα Erroneæ ſuæ opinionis, uno aut altero modo obtendens, Iudice deſtituantur: cum omnium temporum Hiſtoriæ id abundè confirment: quod Errorum plures quandoque reperti ſint Defenſores atque Patroni, quam veritatis ſanctiſſimæ: præprimis in Controverſiis Eccleſiaſticis, uti patet ex *Sulpit. Sever. Hiſtor. Sacra lib.* 2. *à pag.* 156. *ad* 161. Verum quoniam officium ſeu Miniſterium noſtrum Eccleſiaſticum nos arctius conſtringit: quam ut tali ambiguitati incumbamus; qua Eccleſiæ Chriſti Nobis commiſſæ magis confunderentur, quam fundamento rei controverſæ inædificarentur: tum etiam nos metipſi exacerbatis animis conflictaremur: ſatius eſſe reor: veritati rei, ſive ob detectum Errorem, ſive in gratiam alterius, non eſſe reſiſtendum; ſed potius omnibus viribus eo allaborandum: ut ea ſuſcipiatur & ſuſtineatur. Quo etiam M. R. T. Dignitas reſpicere & inclinare videtur, ita de immutatione Formulæ Benedictionis ſcribens:

> quæ tamen nihil obſtat; quo minus ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζωμεν Θεὸν καὶ πατέρα διὰ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Rom. 15, 6. quod etiam ſecundum Syllabas & verſiculos omnes futuris temporibus auſpicio Epiſcopi noſtri Supremi: Conſenſu omnium Eccleſiæ Ordinum effici poterit.

Sed

Sed quid eſt ? quod Vos ab iſto laudabili Propoſito detinet aut vetat ; quo minus iſtud jam in actum deducatur : cum alias multa ſub auſpicio ſupremi Epiſcopi Locum-Tenentium Generoſiſſimorum Dominorum Conſiliariorum gerantur, in quibus Vos Eis morem geritis. Eccur etiam non in hoc negotio, in quo perficiendo Illi, toti fuerunt occupati ; at cum animis diſcordantibus, ne quidem adhibitis graviſſimis Comminationibus, negotium iſtud ſalutare in effectum deducere valuerunt. Forſan hoc vera erit cauſa non-cauſa : ob quam Eis in hoc negatio obedientiam denegatis : quod vereamini, tanquam Coram Epiſcopo Supremo de hoc negotio Eccleſiaſtico aliquando rationem reddituri. Sed cur non veremini iſtam rationem reddituri de aliis Eccleſiæ negotiis, in quibus perficiendis vos Generoſiſſimis atque Excellentiſſimis Dominis Conſiliariis, cum officio veſtro Eccleſiaſtico, eſtis a latere & Conſiliis ? Si in iis negotiis, Eorum agnoſcitis Plenipotentiam, atque eidem vosmetipſos accommodatis ; cur non etiam in hoc negotio ? Et ſi in hoc negotio temeritatem aliquam deprehenditis Contrariam Juri Epiſcopali Supremi Epiſcopi : cur non etiam omnia hactenus geſta negotia Eccleſiaſtica, qvibus vos ipſi interfuiſtis, eaqve ſimul direxiſtis, tanqvam temeraria & Juri Epiſcopali, Supremi Epiſcopi contraria agnoſcitis ? Qvare ego ingenue fateor : huic veſtræ tergiverſationi non aliam ſubeſſe cauſam, qvam Diſcordiam, tam in ipſo Tractatus mei frontiſpicio, qvam etiam in ipſo Tractatu meo deſcriptam. Monet qvidem M. R. T. Dignit. Miniſterio veſtro Eccleſiaſtico DISCORDIÆ, & qvidem per mirabilem Metamorphoſin (qvam τομωτέρως καὶ τετραχηλισμένως exenterare ſuperſedet) EX CONCORDIA ORTÆ notam, imo maculam inuri.

Sed ſi qværerem ex M. R. T. Dignitate : qva Specie hoc moneat ? tunc non aliter Te reſpondentem audirem : qvam Specie Recti ! & qvidem recte imo directe adverſus vosmetipſos. Loqvantur enim non tantum qvorundam Dominorum Præpoſitorum & Paſtorum dicta & Scripta ! Loqvantur acta & actitata Non-neminis cum Summe Rev. Domino Superintendente ! Loqvantur ipſi Domini Mediatores, qvi concordiam inter animos de hoc negotio diſcordandantes reſtituere ſummopere allaborarunt ! Loqvantur deniqve ipſi

Generoſiſſimi atqve Excellentiſſimi Domini Conſiliarii, qvi interpoſita Autoritate Sua, motam diſcordiam ſedarunt! Imo loqvatur etiam Non-neminis e medio veſtrum, Epiſtola hæc inter cætera in ſe continens verba: Der liebe Herr *Paſtor Sennert* ſuchet unter dem "Mantel der zwiſchen uns unglücklich entſprungenen Mißhelligkeit "ſeinen eigenen Irrthum zu verdecken. &c. Nonne igitur alii ſunt, qvi Miniſterio veſtro DISCORDIÆ notam, imo maculam inurunt? nonne ipſimet confitemini? Diſcordiam, ſive ut mavultis, Diſſenſum inter vos ortum eſſe, (qvod unum idemqve eſt: non tantum *συνωνύμως*, ſed etiam *ὠσαύτως* dictum: qvoniam, qvemadmodum corruptis Senſibus internis, a cordis viribus alias ſuffultis, etiam cor Ipſum corrumpi neceſſe eſt, eo qvod Spiritus vitales in corde imminuti, Spiritibus animalibus ad corroborandos Senſus internos vires neceſſarias amplius ſuppeditare non valeant, etiam eodem modo cum diſcordia & diſſenſu comparatum eſt.) Hinc M. R. T. Dignitas tali monito me temere tangendi bene ſuperſedere potuiſſet: cum ego non ſim ille, qvi Miniſterio veſtro Diſcordiæ notam imo maculam inuram; ſed ab aliis e medio veſtri Miniſterii inuſtam, in Scripto meo, non per mirabilem Metamorphoſin (uti loqvi amas) ſed per intenſiorem expreſſionem & majorem rei evictionem in his verbis: *ex Concordia ortam*, propoſuerim adeoqve complanare ſtuduerim: qvod M. R. Dominus Præpoſitus Bilterlin-"gius omnium optime perpendit, ita ſcribens: *Fateor aperte & in-"genue: Reverendam tuam Dignitatem non exiguum onus ad diſſentientium "animos - - - - complanandos in ſe ſuſcepiſſe.* Quod ſi M. R. T. Dignitas *τομωτέρως καὶ τελεαχηλισμένως*, absqve ullo partis ſtudio exenteraſſet, vel exenterare adhuc vellet: in eo rem mihi pergratam faceret: qvoniam mihi uberior de hac Diſcordia ex Concordia inter vos orta tractandi leges porrigeretur, ampliorqve de hac materia diſſerendi campus aperiretur. Quapropter nondum ſeqvitur: qvod,

> tametſi mentes (uti ſcribis) unitate Doctrinæ, & corda veſtra vinculo fraternæ charitatis haud interrupto conſtantiſſime per DEI gratiam adhuc ſint conjuncta,

(qvod vobis ex intimo cordis affectu exopto, ut de eo congratulari qveam:) nulla propterea inter vos diſcordia ſeu nullus diſſenſus aut vigue-

viguerit, aut adhuc vigeat; cum propria confeſſio, imo ipſa experientia contrarium hodienum abunde teſtentur. Viget enim adhucdum diſcordia ſive diſſenſus in Miniſterio inter eos, qui Benedictionem trimembrem; & qui bimembrem in benedicendo cœtibus ſuis adhibent. Illi alienato corde & opinione: hi iterum alienato corde & opinione hoc facientes. Illi ex toto corde introductionem Benedictionis trimembris optantes; hi pro bimembris retentione omnibus viribus militantes. Nonne hoc diſcordia eſt, ſive diſſenſus in Miniſterio veſtro?

> Sed nihil obſtat (ſcribit M. R. T. Dignitas:) quædam rituum differentia! circa quam vel maxime verſatur libertas Chriſtiana, in cujus præjudicium nil debet admitti, ita, ut novo jugo onerentur conſcientiæ 1 Cor. VII, 23.

Hoc eſt quaſi τετράγωνος, quem quatuor Domini Præpoſiti in Miniſterio Curlandico conſtituunt: inque eo Benedictionem tanquam ritum Eccleſiaſticum includunt, & cum libertate Chriſtiana tanquam cum Palladio communiunt; ne in illius præjudicium aliquid admittatur. Sed uti τετράγωνος in Aſtrologia, ſi non ſemper mali; tamen ancipitis ominis ſignum eſt, præcipue, cum in maligno aſpectu cum alio quodam maligno Sydere poſitus eſt: Ita quoque verendum eſt: ne iſte τετράγωνος quatuor Dominorum Præpoſitorum, Benedictioni trimembri, ex libertate Chriſtiana ita obſtinate ſeſe opponentium, & malignum aſpectum cum Nonnemine, eos ita diſponente, habentium, mali ominis ſignum eſſe queat, cum τρίγωνος iſte, Summe & Max. Reverendorum Virorum, nempe Dominus Superintendens, & cœteri duo Domini Præpoſiti, pro ſervanda atque tuenda Benedictionis trimembris Formula, ſub directione & tutela τριγώνᾳ S. Sanctiſſimi: & τετραγώνᾳ Virorum Perilluſtrium, nempe Generoſiſſimorum Dominorum Conſiliariorum, nullam non navaturi ſint operam, palmas reportaturi. Sed ab Allegoria ad rem!

Statuit M. R. T. Dignitas in verbis Epiſtolæ tuæ paulo ante allegatis: quod *nil obſtet concordiæ, rituum quædam differentia, circa quam vel maxime verſatur libertas Chriſtiana, in cujus præjudicium* &c. ad quæ regero: quod (1) Benedictio non ſit ritus, neque illius formula in ſuo uſu conſiderata; ſed *actio Divina moralis, Sacerdotibus demandata &*

con-

concredita &c. &c. vid. Meditat. Theolog. §. 10. (2) quod iſta actio ſub libertatem Chriſtianam, liberamque electionem non veniat. §. 14. (3) quod ex re bona, nempe Benedictione a DEO præſcripta & mandata, & illius Formula nil mali in præjudicium libertatis Chriſtianæ neque venire neque admitti poſſit; niſi M. T. R. Dign. hanc Benedictionem una cum illius Formula pro malo haberi velit: cum, quod in alicujus præjudicium admittitur, non admittendum, neceſſario aliquid mali eſſe debeat. Quare mihi videris novo jugo oneraſſe conſcientiam tuam: (1) eo, quod ſtatuis: Benedictionem trimembrem non admitti poſſe in præjudicium libertatis Chriſtianæ, æque ac ſi libertas Chriſtiana majus & ſanctius quid eſſet; quam abſolutiſſima DEI conſtitutio. (2) eo, quod locum & verba Apoſtoli 1 Cor. VII. 23. male ad rem controverſam applicata, allegaſti. Loquitur enim Apoſtolus ibidem de re plane aliena, atque ab hac noſtra controverſia multis paraſangis diſtincta: ita ut argumentum M. R. T. Dignitatis de libertate Chriſtiana (cui per abuſum nimium tribuis) adverſus Te ipſum invertere & dicere poſſim: quod loca iſta Scripturæ. Gal. V, 13. 1 Cor. X, 23. VIII, 13. Rom. XV, 21. M. R. T. Dignitati e diametro in hoc argumento ſint contraria. Quod ego hoc Syllogiſmo probo:

Quicunque per abuſum libertatis Chriſtianæ, eidem nimium tribuit: is facit: ut fiant iniquiores veræ Doctrinæ Evangelii:

Atque M. R. Dignitas per abuſum libertatis Chriſtianæ eidem nimium tribuit;

Ergo M. R. T. Dignit. facit: ut fiant iniquiores veræ Doctrinæ Evangelii.

Major enim probatur 1 Cor. X, 23. Minor demonſtratur ex eo, quod ſtatuis: Benedictionem trimembrem non admitti poſſe in præjudicium libertatis Chriſtianæ, æque ac ſi libertas iſta majus & ſanctius quid eſſet; quam abſolutiſſima DEI conſtitutio. Si enim hoc, non eſt abuſus libertatis Chriſtianæ; neſcio quis major abuſus eſſe queat? Benedictio enim trimembris, etiamſi πρώτως ad Doctrinam Legis Moralis eſt referenda; tamen etiam δευτέρως ad veram Doctrinam Evangelii pertinet, vid. *Meditat. Theol.* §. 18. & 19. quæ Doctrina ſecundum tuam Theſin iniquior redditur. Stat itaque con-

concluſio in firmitate & ſoliditate ſua. Quod autem M. R. T. Dignitas ſcribit:

> notorium eſſe: vos ſervare unitatem Spiritus in Vinculo Pacis Eph. IV, 3. adeoque a Miniſterio veſtro Schiſma vel diſcordiam abeſſe.

hoc vobis magis exopto; quam quod velim vobis diſcordiam male impingere! Qualiter autem diſcordia inter vos adhuc vigeat: jam paulo ante eſt oſtenſum. Quare, ſi

> vanum mihi negotium faceſſiſſem in extinguenda hac diſcordiæ flamma,

tunc quidem dolor, non remiſſus; ſed intenſus omnes meos occupat artus; tanto intenſior; quanto magis ego vos, huic pio meo propoſito, refragantes comperior. Sed DEI, non mea eſt cauſa! Ille ſibi iſtam pro Nominis Sui gloria & Eccleſiæ ſalute optime habebit commendatam, adeoque, ſi non per meum Miniſterium, (quo ego minimus verbi DEI Miniſtrorum, Eccleſiæ Curlandicæ & Semigallicæ miniſtrare volui; attamen per eum, cujus Miniſterio & auſpicio Benedictionis trimembris reductio in Eccleſiam veſtram jam magnum ſumpſit incrementum, in effectum perducet, manuque tenebit. Utinam igitur haud multum abeſſet! quo minus detrectaretis in Sententiam Summe Rev. Domini Superintendentis, cœterorumque Dominorum Symmyſtarum condeſcendere, ut ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. Rom. XV, 6. quod & nunc, Conſenſu omnium Eccleſiæ ordinum fieri poteſt. Agnoſce igitur Vir M. R. ex hactenus allegatis, me tecum calamo colloquentem

> nova litis materia

non eſſe ebrium, ut tanquam amator ejusmodi ebrietatis, iſtam

> vobis propinaverim.

Erras, Vir M. R. ſi ita MEDIDAT: meas Theologicas interpretaris, (quæ etiam citra votum tuum

> meditationes juſtæ manebunt.)

etiamſi Miniſterio veſtro ſint communicatæ; quod omnes pacifici Theologi, qui veram Eccleſiæ Pacem, ex manifeſtatione Sanctiſſimæ veritatis; non ex erroris defenſione æſtimare ſciunt, *ſuo calculo*

comprobant. Sed ne actum agam, adeoque in vaſtam molem hæc mea reſponſio exſurgat: tunc tantummodo

Diſcordiam Adiaphoriſticam, (quæ tibi inculpata rituum varietas eſt)

attingam. Diſcordiam Adiaphoriſticam voco §. 5. Medit. Theol. Statum controverſiæ, quæ inter vos & inter Dominum Superintendentem intercedebat, non tam ex mente mea; neque ex mente ea, quam M. R. T. Dignitas mihi affingit: acſi ego

rem in ſe utrinque bonam, odioſo diſcordiæ nomine traducere jure videar, moralitatem eidem affingere conans, ad inſtar Medici, vulneris periculum exaggerantis, ut medelæ ſuæ locum conciliet, honoratiorem;

ſed potius ex mente eruditiſſimi (uti ſpecioſo a Te mactatur titulo) Domini Anonymi, (Te ipſum aliosque plures ſe eruditiores habentis) & ex Scripto iſto anonymo. Iſte enim in Scripto ſuo de meris adiaphoris, ritibus & ceremoniis tractat (in quorum cenſum etiam Benedictionem Eccleſiaſticam pertrahit:) adeoque pro iis tam ſtrenue, quam pro aris ac focis dimicat, (qui Zelus in ſuo genere & in ſua materia non niſi decenti laude dignus eſt) iſtudque Scriptum opponit intro-ſeu reductioni Benedictionis trimembris in Eccleſiam veſtram, a Summe Rev. Dno. Superintendente factæ. Exordium hujus Scripti hoc eſt:

§. 1. Quæritur: Utrum Formula benedicendi der HErr HErre &c. antiquitus in Eccleſiam noſtram introducta ex Mandato Excellentiſſimi Domini Cancellarii ſit deſerenda, & iſta *Num. 6.* v. 24. 25. 26. deſcripta in ejus locum recipienda?

§. 2. Hic in conſiderationem veniunt (1) res, quas ordinatio iſta concernit, & (2) modus, quo circa iſtas res ordinatur?

§. 3. Res in quæſtionem venientes ſunt ritus & ceremoniæ Eccleſiaſticæ in libertate Chriſtiana poſitæ, ac ad Adiaphora pertinentes, ſc. Formulæ benedicendi &c.

Hi tres §. §. §. mihi anſam dedere: ut Statum controverſiæ inter vos & Dominum Superintendentem vocaverim Diſcordiam Adiaphoriſticam, quoniam tum temporis juxta utriusque partis litigantis opinionem hæc res ut adiaphora in controverſiam veniebat: Utrum Formula benedicendi Num. 6. 24. 25. 26. præſcripta eſſet

reci-

recipienda; & altera hactenus uſitata abroganda? Utraque enim pars litigans tum temporis formulas Benedictionis pro re adiaphora habebat, antequam ego in MEDITATIONIBUS meis demonſtrarem: illas non pro adiaphoris eſſe habendas, quia ſub Lege ſunt Divina Morali; nihilominus tamen diſcordes ſeu diſſentientes fuere: utra formula abroganda aut introducenda eſſet? Quo igitur reſpectu ego, aut moralitatem aliquam voci DISCORDIÆ, affingere potuerim: eo, quod illam adiaphoriſticam nominem, & quidem ab adjuncta qualitate rei: aut M. R. T. Dignitas me de jure ac æquitate culpare queat: *ac ſi rem bonam odioſo DISCORDIÆ nomine traducere jure videar;* iſtud ne quidem per Tubum Opticum mihi perſpicere licet.

Intempeſtivus itaque & non ſecundum Juſtitiam eſt Zelus, quo M. R. T. Dignitas Diſcordiam Adiaphoriſticam defendere, imo palliare conatur: ne vulnus, Eccleſiæ veſtræ, ex ea, inflictum perſpiciatur & percipiatur; ne dicam: vobis imputetur. Non ego hujusmodi controverſias citra neceſſitatem movi. Sed motas inter vos ſedare, atque per vere Theologicam demonſtrationem (quod formula Benedictionis trimembris non tantum legitima & vera ſit, quæ nec quondam abrogari debuit; nec jam rejici debet; ſed quod ea etiam ad legem moralem pertineat) diſcutere volui. Sed ſit ita! quod novam ſane & inauditam opinionem in ſcenam produxerim: ipſam formulam populo Iſraëlitico ſolenniter benedicendi Aaroni & filiis ejus præſcriptam à DEO, ad legem moralem reducendo, adeoque Chriſtianos omnes ad neceſſariam hujus Formulæ obſervationem obligando, num propterea omnia nova & inaudita quidem; ſed cum S. Scriptura convenientia: imo ex eo deſumpta & demonſtrata, vitioſa, rejicibilia & Eccleſiæ Chriſti noxia ſunt? O Vir M. Rev.! revoces quæſo! tibi in memoriam iſtud pervulgatiſſimum: *Multa ſunt, quæ ſcimus; ſed plura quæ neſcimus!* tunc mecum ſenties: plura adhuc eſſe, quæ ad abſolutiſſimam Scientiam Theologicam, etiam apud maxime autoritatis Theologos deſiderantur: & quorum particulam hinc inde DEUS T. O. M. per ſubjectum aliquod, in oculis ſublimium, vile viſum, Eccleſiæ ſuæ communicat. Hoc pro me affir-

"mat Lactantius, ita ſcribens: *Dedit omnibus DEUS pro virili portione* "*Sapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent & audita perpendere. Nec* "*quia nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt, quæ ſi* "*omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Quare* "*cum ſapere, i. e. veritatem quærere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi* "*adimunt, qui ſine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecu-* "*dum more ducuntur. Sed hoc eos fallit: quod Majorum nomine poſito,* "*non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut* "*illi deſipuerint, quia Majores nominantur. lib. 2. de orig. erroris cap. 8.* Item *Salmeron* inquit: *Non omnibus omnia dedit DEUS, ut quælibet ætas ſuis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit. in Rom. 5. diſp. 51.* "Quin etiam *Serarius* ſcribens: *Et recentioribus, qui in Eccleſia Catho-* "*lica ſunt, vineamque Domini, pro ſuo quisque modulo annituntur colere,* "*aliquid etiam in Scripturis Sanctis, utile vel Sanctus ſuggerit Spiritus, vel* "*ingenium arte parit & induſtria: dum e bonæ ſeduleque mentis theſauro ad* "*auditorum & lectorum ſuorum utilitatem, DEIque gloriam nova promunt* "*& vetera. Sic enim fecerunt, qui hodie vtteres: Nam & hi fuerunt ali-* "*quando novi: & qui modo novi, poſſunt, ſi voluerit Dominus, poſteris eſſe* "*veteres. in Proleg. Biblic. cap. 28. Quæſt. 13. §. poſter. pars:*

Licet jam hæc mea opinio nova ſit & inaudita (quoniam de benedicendi Formula, quantum mihi conſtat, neque hæc, neque alia opinio literis expreſſa legitur: nulla enim documenta hactenus videre licuit, etiam de veſtra uſitata formula in Livonia nata, ita ut vosmetipſi neſciatis originem & authores hujus introductæ formulæ; nedum: ut demonſtrare poſſitis: Authores hujus Formulæ eandem ad ritus Ceremonias & adiaphora retuliſſe; imo negaſſe; quod ea pertineat ad legem moralem:) tamen ex eo non ſequitur: quod hæc mea nova & inaudita opinio non ſit bona. Bonam enim, legitimam & cum S. Scriptura convenientem eſſe, ſequentibus demonſtrabo: & quidem (1) *ex ipſo fonte Benedictionis.* (2) *ex illius cauſa tam materiali, quam* (3) *formali, atque* (4) *finali,* (5) *ex differentia inter Benedictionem ejusque formulam; & inter ritus, ceremonias & adiaphora.* (1) *Fons* enim Benedictionis eſt ipſe *DEUS, benedictus in Secula.* Rom. 1, 25. ex quo per Benedictionem aliquid emanat: quod benedictis ad corporalem & ſpiritualem, imo ad temporalem & æternam Salutem prodeſſe debet: imo realiter & effective prodeſt. Nam David inquit:

inquit: *Quod Tu Domine benedicis, id manet benedictum in æternum.* 1 *Par. XVIII.* 27. Nonne igitur Benedictio tam realis, quam verbalis a cenſu rituum, ceremoniarum & adiaphororum exempta eſt? (2) *Cauſa Benedictionis materialis* eſt Lex moralis, hominibus ſervanda, propoſita, ita, ut quicunque legem Illam ſervaverit, benedici debeat: quam Benedictionem DEUS promiſit. *Exod. XX*, 6. *&* 24. promiſſam repetivit. *Deut. XXVIII*, 1. *& ſqq.* repetitam verbaliter inſtituit, *Num. VI*, 24. 25. 26. verbaliter inſtitutam ſervare ſub pœna maledictionis juſſit, *Deut. XXVII*, 26. (3) *Cauſa formalis Benedictionis* eſt: DEI T. O. M. benigniſſimus reſpectus, per Benedictionem homines adſtringendi & impellendi: ut ſeſe Legi morali obedientes præbeant. *Deut. VIII*, 6. *usque* 13. *Deut. XXVIII*, 1. *& ſqq.* In quibus cauſis nulli ritus, ceremoniæ & adiaphora locum obtinent. (4) *Cauſa finalis Benedictionis* eſt: Coadunatio Benedictorum in unitatem Corporis & Spiritus, ſub ac- & ſuſceptione gratiæ DEI, ad perfruendam omnigenam benignitatem, cuſtodiam, providentiam Divinam, animæ conſcientiæque pacem & tranquillitatem: quod ritus, ceremoniæ & adiaphora perficere non valent. (5) Differentia etiam inter Benedictionem ejusque formulam; & inter ritus, Ceremonias & adiaphora admodum ingens eſt. Benedictio enim tam realis quam verbalis res abſolute per ſe ſancta eſt; ritus autem, Ceremoniæ & adiaphora ſecundum quid ſancta ſunt: quatenus nimirum ad Analogiam quandam Sacram referuntur. Ut itaque ſatis perſpicue ſit oſtenſum: quod Benedictio ejusque Formula non ad ritus, Ceremonias & adiaphora; ſed ad legem Moralem, inconcuſſe ſervandam pertineat. Quod dilucidius patebit ex Collatione *Exod.* 20. In eo enim Decalogi ſeu Legis Moralis promulgatio continetur: tali pacto: ut DEus tam in promulgatione v. 6. quam etiam poſt promulgationem v. 24. Benedictionis fecerit mentionem, adeoque totum Decalogum cum Benedictione promiſſa quaſi circummunivit & circumſepſit. Quis jam eſt? qui adeo perfrictæ frontis eſſe vellet: ut auderet Benedictionem promiſſam ſeparere a Lege morali. Si jam Benedictio promiſſa a Lege Morali ſeparari non poteſt: imo Benedictio iſta Legem Moralem quaſi circummunivit & circumſepſit: Cur non Formula Benedictionis etiam eo pertineret? in qua & materia & forma Benedictionis continentur, adeo-

que in ea circummunitio & circumſeptio Legis Moralis conſtat, ita ut qui legem Moralem ſervant, benedici debeant. Quomodo? aut qua formula? nempe iſta Num. 6. 24. 25. 26. expreſſa. Et quamquam aliquis ingentem diſtantiam locorum Scripturæ Exod. 20. & Num. VI. objiceret, adeoque ex eo non admittere vellet: Formulam iſtam ad Exod. caput 20. pertinere: quia perquam multa Ceremonialia intercedunt; tamen concedere coguntur: Quod etiam perquam multa Moralia ibi intercedant, quæ quaſi fundamentum & Cauſa minus principalis Ceremonialium fuere. *Erant enim Ceremoniæ picturæ cultus interioris DEo a nobis præſtandi. Juxta Dieter. Inſtit. Catech. p. m. 76.* Ad quæ Moralia obſignanda DEus Num. 6. 24. 25. 26. contentam benedicendi Formulam non tantum Ipſe promulgavit; ſed etiam Aaroni & filiis ejus firmiter ſervandam a Moſe præcipi curavit: & quidem in tali capite, in quo principaliter de materia rei Moralis tractatur, uti Ego hoc in Notis ad §. 10. & quidem ad hæc verba: Tunc enim ſequeretur: quod Benedictio &c. demonſtravi.

Quare Formula Benedictionis nil aliud eſt: quam Prædicatio & Collatio Benedictionis, ſeu Modus Prædicandi & Conferendi Benedictionem qui fit per Miniſterium verbi & Sacramentorum; Confirmatio autem & obſignatio Benedictionis fit ab Ipſo DEo, utpote cujus ſolius eſt realiter & effective benedicere. Si jam Formula benedicendi eſt Prædicatio & collatio Benedictionis, ſeu modus prædicandi & conferendi Benedictionem: imo ipſa Benedictio legis eſt moralis, uti Exod. 20. oſtenſum. Cur igitur modus prædicandi non ſequeretur modum eſſendi? cum hoc apud Metaphyſicos ſolenne ſit: *quod Modus prædicandi ſequatur modum eſſendi.* Imo etiam Analyticorum Canon hoc requirat, ita ſonans: *Affectio rei, quæ per Cauſas internas demonſtratur, & ex Eſſentia Subjecti immediate fluit, nonniſi per Ipſam Eſſentiam, tanquam per Cauſam ſuam demonſtratur. Analyt. Hedion. p. m. 606.* Hinc ad evincendum: quod medius Terminus Concluſionis: nempe: *Formulam benedicendi ad Legem Moralem etiam hominibus datam pertinere*, bonam Connexionem cum Subjecto & Prædicato habeat: talem formo Syllogiſmum:

Cujus Eſſentia in lege Morali, hominibus data continetur:
id ipſum etiam tanquam Affectio Eſſentiæ eo pertinet.

Atque

Atqui Formulæ benedicendi Eſſentia, nempe Benedictio, in lege Morali hominibus data continetur.

Ergo Formula benedicendi, tanquam Affectio Eſſentiæ, nempe Benedictionis eo pertinet.

Judicet jam M. T. R. Dignitas: utrum omnes Chriſtiani ad neceſſariam hujus Formulæ obſervationem obligentur, an non? judicet inquam! ſed nonniſi ſincere, nullo habito, hujus aut illius defendendi; ſed ſolius veritatis ſanctiſſimæ aſſentiendæ reſpectu: tunc agnoſcet: me contra interdictum Apoſtolicum Act. XV, 10. (quod plane eſt ἀλλότριον) non *auſum eſſe libertati Chriſtianæ* in adiaphoris Legis Leviticæ jugum imponere; eo minus: quoniam ego ἀκριβῶς Benedictionis Formulam ab Adiaphoris differre demonſtravi. Quapropter non opus eſt, neque fuit: ut ad Eruditiſſimi Dni. Anonymi diſtinctionem accuratam &c. attendam: quoniam illa in Meditationibus meis Theologicis §. 16. jam eſt labefactata, imo etiam ea, quæ hic a M. R. T. D. pro ejus defenſione adducuntur §. 17. 18. 19. 20. jam ſunt deſtructa, quod inveniet, ſi hos §phos perlegerit.

Ut autem etiam ad ea, quæ M. R. T. Dignitas ex Notis meis affert, quam pauciſſimis reſpondeam: tunc ſpero: Te ægre non laturum: ſi vitandæ prolixitatis gratia, tantummodo unum aut alterum attingam, in quibus ſentio, Te de mea non bene percepta mente, anſam ſumpſiſſe, quædam pro Objectione in medium proferendi. Primum itaque quod attinet, de quo conquereris, fatendo: Te

nullum Medii Termini connexionem cum Subjecto & Prædicato invenire: vel, eam nimis longe eſſe petitam,

in eo M. R. T. Dignitas tam ambigua Deductione commode ſupersedere potuiſſet: cum ea neque ad me informandum, neque ad aliquid demonſtrandum faciat, quod e re Veſtra eſſe poſſit. Totus objectionis Cardo in eo vertitur: quaſi Ego abſolute DEo tribuerim: *Eum ſibi Ipſi eſſe Legem*, & quidem præprimis *Moralem*; Sed fortaſſis M. R. T. Dignitas non bene animadvertit, me *Rudrauffii*, Theologi quandam Eccleſiæ Lutheranæ, & Profeſſoris Academiæ Gieſſenſis, celeberrimi verba allegaſſe, & cum iſto Theologo ἀνθρωποπαθῶς loqui, per ſimilitudinem, omiſſa licet, Similitudi-

litudinis particula *Quaſi*, Satis enim ſcio etiam a M. R. T. Dignitate non monitus: quod tam crude & craſſe DEo aliquid tribuendum non ſit, uti tuus ſuperfluus Diſcurſus hic innuit. Ecquis enim Theologorum γνησίως ſic dictorum tale quid de DEo ſtatueret; niſi qui judicium ſuum Theologicum, non in Cerebro ſed in calce habet. Quare etiamſi prius nullam Connexionem medii termini cum Subjecto & Prædicato invenire potuiſti, jam invenies eam per ſimilitudinem, non nimis longe petitam: quoniam a Conditione rerum prædicamentalium ad Conditionem rei divinæ & myſticæ argumentari, Sophiſtarum eſt; non Theologorum. Quicquid enim in DEo eſt: id longe altioris eſt Ordinis & indaginis, eminenter complectens, quicquid perfectionis in eſt, rebus ad Eum relatis; quare etiam illa eminenter, & ineffabiliter DEo tribui poſſunt. Et hoc etiam in notis meis factum eſt a me, non alia intentione & ſcopo: quam ut Benedictionem Ipſam ejusque Formulam indiſſolubiliter ad DEum, ejusque voluntatem reſtringere adeoque etiam totum Miniſterium Curlandicum DEo, ejusque voluntati in ſuſcipienda legitima Benedictione ejusque formula adſtringere voluerim. Itaque Ego Benedictionem ejusque Formulam (1) in ſenſu Myſtico & Spirituali (2) in ſenſu literali & legali, uti paulo ante demonſtravi ad Legem Moralem retuli, duplici interpretandi modo, Theologis conceſſo. *Non enim abſurdum eſt: ſi unius loci vel "duæ vel plures inveniantur interpretationes: modo ſcripturis ſint analogæ: "quarum tamen ea, cæteris præferenda, quæ præſenti Authoris intentioni & "ſcopo propinquior poterit judicari. Vid. Walth. Harm. S. Script. p. m. 54.*

Recidunt igitur omnia mihi objecta Paradoxa, adeo, ut etiamſi quoquo modo etiam allaboretis in Scriptis meis aliquid reprehenſibile extorquere, nil inveniatis, niſi Sanctiſſimam veritatem vobis ad oculum monſtratam: quam ut agnoſcatis & ſuſcipiatis, non deero, quin profundiſſimis Suſpiriis ad DEum, ſollicitaturus ſim. Ultimum Paradoxon vir M. R. Ipſe deprehendes injuſte mihi objectum: cum §. 15. Meditat. mearum Theologicarum, una cum Notis adhunc §. citra omnem privatum affectum perlegeris, & candide, imo γνήσιως Theologice judicaveris: quod mihi præprimis de M. R. T. Dignitate perſvadeo. Nihil enim ibi invenies: quo

vel

vel ſimpliciorum, vel etiam ſapientium animis ſcrupulus aliquis injici poſſit: quaſi a Paſtoribus hactenus uberiori fructu & effectu ſalutari defraudati ſint: cum iſte ſcrupulus ex verbis meis plane non conſequatur.

Ita enim ego de uſitata hactenus Formula in Meditat. Theolog. §. 15. ſcribo. *Si non minoris effectus & fructus; tamen minoris eſt decentiæ; cum non deceat ſeparare in S. Scriptura ea, quæ ſunt conjungenda &c.* In Notis autem priora iſta verba ita explico: *Quoniam iſta Cauſa Accidentalis, nempe Error §. 12. notatus, Cauſæ Efficienti principali DEo, tanquam Authori, Inſtitutori Benedictionis, illiusque Effectum procreanti, nil derogare poteſt.*

Quapropter nobis non tam reſpiciendum eſt: (1) ad factum Mutationis hujus veſtræ benedicendi Formulæ; ſed potius ad inſtitutionem divinam ipſius Benedictionis, quæ ſemper apud DEUM firma atque efficax eſt. (2) reſpiciendum eſt ad bonam Intentionem & finem, quem ſubjecta Benedicentia, nempe Miniſtri verbi Divini habuerunt, Coetibus ſuis etiam hac mutata benedicendi Formula benedicere, quæ intentio & finis nonniſi juſta & bona eſſe poſſunt. (3) reſpiciendum eſt ad Objectorum Benedictorum, nempe Eccleſiarum fidem quam non ſuper mutatam formulam; ſed ſuper Benedictionem a DEO inſtitutam habuerunt, ita, uti crediderunt: quod DEUS non tantum Benedictionem inſtituerit: iisque benedicere mandarit; ſed & firmam & ratam, imo efficacem eſſe velit, ita quoque talis virtus & efficacia, ſecundum inſtitutionem divinam in omnibus Eccleſiis, locum obtinuerit. Et hæc ſunt iſta ſolida argumenta & Cauſæ non ficulneæ: Cur ego in Meditat. meis Theologicis §. 6. & 7. utramque benedicendi Formulam pro indifferenti habeam: non tantum ut multorum elumbes conſequentias in hoc paſſu infringerem; Sed etiam animis ſcrupulo aliquo affectis bene conſulere voluerim. quod etiam vos, boni conſulturos, ſpero. Priusquam autem vela ſcribendi contraham, non absre me facturum confido: ſi oſtendero, quam ſuſpecta ſit uſitata hactenus Formula, partim: *quoniam neque in Ordinatione Eccleſiaſtica continetur; neque de ea conſtat: quis eam introduxerit? quando introducta ſit? & quæ Cauſæ mutationis interceſſerint? cum tamen Univerſa Lutherana Eccleſia adhuc dum legitima formula* Num. VI. *utatur.* Hinc, cum hæc

Formula Num. VI, 24. 25. 26. etiam in Ordinatione Eccleſiaſtica Veſtra cap. 20. expreſſe contineatur, imo a Superioribus demandata ſit, ut adhibeatur in Ægrotorum Communione; tunc tentabo, ſolidiſſimis argumentis Formulam benedicendi trimembrem ita legitimare: (1) *a Minori ad Majus* argumentando: Quod, quoniam Benedictio trimembris in Ægrotorum Communione & ad ſingularem Perſonam ab Ordinatione Eccleſiaſtica eſt inſtituta: ea tanto magis ad totam Eccleſiam adhibita & adhibenda ſit. (2) *a remotione ad poſitionem.* Quoniam in tota Ordinatione Eccleſiaſtica ne γρῦ quidem hactenus uſitatæ formulæ mentio fit; Altera autem expreſſis verbis in Ægrotorum Communione inſtituta eſt, tunc etiam ex præſuppoſito, tota Eccleſia, hac Formula, Benedictionem eſt conſecuta. (3) *á priori & notiori ad poſterius & minus notum.* Quoniam Benedictio trimembris ex Verbo DEI, ex Ordinatione Eccleſiaſtica Curlandica: & ex Praxi omnium Eccleſiarum particularium Lutheranarum nota eſt; hactenus autem uſitata bimembris ignota eſt (1) *ratione temporis*; quando ſit introducta? (2) *ratione authoritatis*; quis eam introduxerit? (3) *ratione cauſæ*, ob quam tanquam mutata ſit introducta; tunc illam alteram, hac multo juſtiorem eſſe neceſſe eſt.

Appendeat jam M. R. T. Dignitas hæc argumenta ad juſtam trutinam judicii Theologici! & certe ſenties: animum tuum magis inclinaturum ad formulam ttimembrem, ſuſcipiendam; quam ad alteram ulterius defendendam, Quod Divinum in Te Numen operari atque gratioſa & jucunda Coactione voluntatis tuæ; non Compulſiva; ſed impulliva i. e. perſvaſiva, perficere velit! Amen! Tua enim M. R. Dignitas, Is ipſus eſt, in quem multorum aliorum oculi ſunt converſi. Præſta te in & cum DEO bonum Ducem in hoc ſacro negotio, & certe habebis multos bonos Comites, qui veſtigia tua prona & jucunda voluntate legent. Denique! ſi quid in hac mea Reſponſione veritatis exprimendæ cauſa, juſtius expreſſum eſt; quam M. R. T. D. de me ſperaſſet: amanter & filialiter in Chriſto rogo: ne male interpretando dona Divina, quibus DEUS Ter Opt. Max. me ingentem peccatorem inſtruxit, in me ſupprimantur. Peream! ſi non omnes mei conatus boni, in Eccleſiæ Lutheranæ verum & ſalutare commodum ſunt directi! Invidorum labiis ne credas! magis enim me traducunt; quam Veritatem adducunt.

cunt. CHRISTUS JESUS verus Ille & infallibilis Καρδιογνώστης dijudicabit inter me & eos, qui ſe peſſimæ invidiæ manciparunt: qua ipſimet ſibi & Eccleſiæ Chriſti valde ſunt noxii, eique ſæpius grandia ponunt offendicula longe lateque patula. Quæ tamen DEUS clementer ab Eccleſia ſua avertere velit! Cujus Tutelæ gratioſiſſimæ, M. R. T. Dignitatem, ut ſalvus & ſuperſtes, in Eccleſiæ Chriſti, cui præ es, ſalutare commodum diu adhuc conſerveris, me vero tuo in Chriſto paterno Favori, commendo, utpote, qui te non tantum ſingulari Amore in Chriſto proſecutus ſum; ſed etiam porro hoc facturus, quoad luce hac frui temporali mihi licebit, perſeverat Tuus.

Vir Maxime Reverende
Tibi

Piltini d. 22. Nov. 1719.

ad quævis Charitatis officia in Chriſto devinctiſſimus

Chriſtophorus Sennertus,
Paſt. Pilt.

REPLICA.

Gratiam & Pacem a DEO Triuno per D. N. J. C.

Vir admodum Reverende, Clariſſime atque Eruditiſſime Domine Paſtor, Amice & in CHRISTO Frater conjunctiſſime!

SI cœperimus obloqui tibi, moleſte feres; ſed conceptum Sermonem quis tenere poterit. *Job. IV*, 3. Mihi quidem pergratum fuiſſet, tacite metitando, ſi non eruditum, ſaltem quietum premere ſilentium & Harpocrati litare, niſi ad obloquendum, vel potius ad ſcribendum plus vice ſimplici provocatus fuiſſem, primum quidem a Max. Reverendo Domino Superintendente noſtro,

qui jam dudum hac æstate, literis ad me exaratis a me desideravit: ut judicium meum de meditationibus tuis Theologicis vel sibi, vel Adm. R. T. Dignit. scripto quodam aperirem: quod ego brevissime e vestigio literis ad eum redditis, feci. Nuper autem circa tempus autumnale, cum fructus jam adeo maturuissent, ut non amplius arboribus possent adhærere, insinuabantur mihi iteneri accincto literæ tuæ cum inclusis Notis ad meditationes prædictas, in quibus expresse contestabaris spem tuam: *Nos Præpositos æquos meditationum tuarum habendi censeres.* Utique ergo expetita a me est censura meditationum tuarum, aut communicatio judicii mei de iisdem. Sed liceat & mihi scisciscitari: Quis te, Vir adm. Reverende, Controversiæ; inter Dominum Superintendentem & nos ortæ, censorem, imo Domini Superintendentis propugnatorem constituerit? Quis est, (fatere candide) qui Te ad hoc scribendi genus conduxit? Porro, quo jure nos pro Adversariis, Benedictionis trimembris venditare audes? qui nunquam eam (utpote æque divinam atque bimembris est) oppugnavimus, quam tu defendendam suscipis? Eo ipso videris inanem captare gloriam, dum abs re tibi fingis Adversarios, æque ac discordiam; imo triumphum ante victoriam canis, jactando: Te irrefragabilibus argumentis demonstrasse, legitimam esse formulam Benedictionis trimembrem; quam tamen & nos nunquam pro illegitima habuimus. *Et quid sibi vo-*
"*lunt ista scommata? Non latere te, cujus afflatu hæc ita gerantur, ut*
"*M. R. D. Præpositi non tantum injusta tali impositione te onerent; sed et-*
"*iam quo illi respiciant, ut nimirum te suspectum reddant.* Quasi vero tibi soli divinitus datum sit intima cordium penetralia dijudicare & Spiritus probare: utrum ex DEO sint? Putamus autem nos quoque Spiritum DEI habere. ἃ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τὶ, ὧν ἃ καθεργήσατο χριστὸς δ' ἐμὲ. Sat animose quidem nos in arenam quoque Academicam provocas. Noveris autem, nos ejusmodi consvetudinem (φιλονεικίας) non habere, μηδὲν κατ' ἐριθείαν ἢ κενοδοξίαν: Δῆλον γὰρ χυρίῳ ἃ δεῖ μάχεσθαι. Abstinemus a λογομαχίαις, memores moniti Apostolici 1 Tim. VI. gignunt enim pugnas. 2 Tim. II, 23. ex quibus nascuntur invidia, lis, maledicentia, suspiciones malæ. Nos autem non sic; sed placide καθανῶμεν αλλήλοις εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης, καὶ καλῶν ἔργων. Nec dubito, quin in hac causa formulæ benedi-

nedicendi, quoque pars utraque ad forum & judicium S. Scripiuræ, illæſa mutua charitate & concordia Spiritus provocare poſſit; minime autem ſe pravis affectibus mancipare, aut erroneæ opinionis, quoad uſum, alterutrius formulæ, alteram inſimulare debeat. *Non enim hic de re totius Eccleſiæ ſalutem concernente controvertitur;* ſed tantum de formulis indifferentibus, id quod ad nauſeam toties explicatum & adhuc explicandum, imo jam continua Eccleſiæ Praxi confirmatum eſt. Deſine quæſo clariſſime Domine Paſtor examen ita rigoroſum per quæſtiones tam importunas inſtituere, ut a nobis invitis, *cauſas, propter quas non ſtatim nutui tuo, aut ejus, qui te ſubornavit* aſſurgimus, extorqueas. Hoc enim Te, licet alias eruditiſſimum (quem tibi & cuivis Symmyſtæ æque ac Doctiſſimi titulum citra aliorum præjudicium, lubens tribuo) minime decet, cum nulla adhuc dum ſummæ ἐφορίας authoritate polleas; *ſed ſoli gregi Piltinenſi, ſis præfectus, quem ſedulo paſce*, nec reum te redde ἀλλοτρίο ἐπισκοπίας. Cauſa autem vera non tergiverſationis; ſed prudentis dilationis hæc eſt: ut omnia ordine & decenter ſuo tempore fieri poſſint. Quin, ſi dicendum, quod res eſt: antequam R. T. D. feſtucam *diſcordiæ vel potius diſſenſus* aliqualis in oculo Miniſterii noſtri, tuo quidem judicio hærentem, extrahere conabatur, debuiſſet potius trabem τῆς τόλμης καὶ αὐθαδείας vel ſingularitatis ex oculo proprio eruere, quam tibi juxta propriam tuam confeſſionem nonnemo, mihi quidem per conjecturam forte, ſed non certe notus, a te ipſo autem allegatus, tribuit. Nullo enim vel legis vel conſvetudinis a B. tuis Dominis prædeceſſoribus ad te devolutæ jure, ſed αὐτονόμως ex arbitrio tuo privato formulam benedicendi trimembrem in Eccleſiam tibi concreditam jamdudum introduxiſti: quod an per errorem factum ſit, ut ille ſcripſit, an vero ex amore ſingularitatis, & animo ſeparandi ſe ab uſu vulgari, in medio relinquo, & conſcientiæ tuæ excutiendum committo. Purgare te quidem niteris a culpa inuſtæ Miniſterio noſtro notæ, imo maculæ diſcordiæ, *adducendo in medium alios, partim*, qui idem fecerunt (Tuum ne igitur erat malevolorum veſtigia premere, oleum igni affundere, & non potius calumnias hujusmodi a Miniſterio amoliri, differentiam ex intempeſtiva & ſubita iſta immutatione ortam in meliorem partem interpretando) *partim, qui Mediatorum partes in ſe ſuſceperunt*; at hi

Viri certe veraces, nullo modo de animorum atque cordium noſtrorum diſſidio teſtari poterunt, ſed tantum de conſtanti propoſito noſtro ſervandi ritum antiqvum formulæ benedicendi; neque enim alios, qui in recipienda nova formula tam faciles ſe præbuerunt, Confratres noſtros damnamus, aut noſtram iis obtrudimus formulam, prætextu cujusdam neceſſitatis, qualem tu quidem nobis intentas; ſed vano ſucceſſu; quin importunis tuis ſollicitationibus uniformitatem aliquando unanimi ordinum conſenſu conciliandam magis impedis atque retardas. Generoſiſſimi autem & Excellentiſſimi Domini Conſiliarii Supremi, Sereniſſimi Principis ac Domini noſtri Clementiſſimi locum tenentes in literis noſtris ſupplicibus, quibus innovationem formulæ benedicendi deprecati ſumus, gratioſiſſime acquieverunt. De cœtero *intenſiorem majoremque evictionem*, quam tibi arrogas in his tuis verbis: *Ex concordia ortam*, quam tibi ipſi perſvades, neque ego, neque Plur. Reverendus Dominus Præpoſitus Bilterlingius, aut quivis alius ſincerus rerum æſtimator agnoſcet. Quanquam enim onus probandi in te ſuſceperis; pondus tamen argumenti tui nimis leve repertum eſt.

Impugnat Adm. Rev. T. D. verba Epiſtolæ meæ: *Concordiæ Eccleſiaſticæ nihil obſtare quandam rituum differentiam, circa quam vel maxime verſatur libertas Chriſtiana;* negando: quod vel Benedictio vel illius Formula in ſuo uſu conſiderata, ſit ritus; ſed affirmando: "*quod ſit actio Divina moralis, Sacerdotibus mandata & concredita, quæ* "*non ad bonum ordinem & tranquillitatem in Eccleſia ſervandam ſpectat;* "*ſed quæ ad accipiendam & ſuſcipiendam gratiam DEI, ad perfrueudam omni-*"*genam benignitatem, cuſtodiam, providentiam Divinam & ad animæ con-*"*ſcientiæque pacem & tranquillitatem facit, qualis Benedictio circa fidem* "*erga promiſſiones Divinas verſatur:* atque inde concludit: quod neque "*formula benedicendi* (nam de ipſa Benedictione in genere ſequeſtra-"mus quæſtionem) *ſub libertatem Chriſtianam, liberamque electionem* "*veniat.* Illi autem tuæ definitioni, utpote e cerebro tuo natæ liceat quoque mihi aliam e meo penu depromptam opponere: quæ ſic ſe habet: *Formula Benedictionis Eccleſiaſticæ eſt conceptus verborum, quo Paſtor & Eccleſia preces atque vota ſua unanimiter, atque rite conjungunt, pro obtinenda omnigena DEI gratia, cuſtodia & benedictione reali.* Iſte igitur conceptus verborum qualiumcunque gratiam DEI, S.

Scri-

Scriptræ conformiter exprimentium quidni cœteris ritibus piis, formulis precandi, concionandi & Sacramenta administrandi, quibus Ecclesia in cultu Divino publico libere utitur, annumerari possit? Nam & hæc vel illa benedicendi formula, usu continuo Ecclesiæ recepta & sanctificata, facit ad bonum ordinem & tranquillitatem in Ecclesia servandam. Cumque conceptus iste Num. VI. in V. T. lege certa positiva Aaroni & ejus filiis qræscripta divinitus fuerit, utique non venit sub Sacerdotum V. T. qui erant filii Aaronis, libertatem liberamque electionem; *quod nihil ad nos*, quos leges positivæ V. T. particulares non obstringunt. Laborat igitur argumentum, quo verba mea impugnas, non tantum fallacia petitionis τῦ ἐν ἀρχῆ; sed etiam fallacia ignorationis Elenchi, & a D. S. Q. ad D. S. Sicut & in seq. n. (3) fit. Nunquam enim nobis in mentem venit asserere: quod non possit admitti formula illa Aaronica & filiis ejus tradita, modo cœtera sint paria; id vero semper asseruimus: *Mutationem formulæ benedicendi bimembris* (quæ quoad essentiale, seu quatenus Benedictio est, *cum trimembri realiter convenit*; in conceptu autem verborum parum ab illa differt.) *in præjudicium libertatis Christianæ, nec non sub opinione erroris hactenus a piis Majoribus nostris commissi. & alterius illius trimembris formulæ, sub opinione necessitatis moralis, nec requisito prius Cleri & Ecclesiæ consensu, introductionem fieri & admitti non debere.* Et quidni ex eo, quod per se bonum est, per accidens malum venire queat? id quod jam & in hac re docet eventus, *quando Admod. Rev. Tua Dign. doctrina* de formulæ illius introducendæ necessitate morali tanquam Pomum Eridis in medium projecit: quo ipso verius tu, quam ego *Conscientiam oneravisse* videris, Ex meo sane asserto non sequitur: *quod libertas Christiana majus & sanctius* quid sit, quam absolutissima DEI constitutio, puta, quæ non absolute omnibus; sed soli Aaroni ejusque filiis præscripta fuit. Nec mala est applicatio mea dicti generalis 1 Cor. VII, 23. Est enim argumentatio negativa a genere ad speciem, a Thesi ad Hypothesin, quæ sane conscientiam meam onerare non potest. Conscientiam quoque sine offendiculo (ἀπρόσκοπον συνείδησιν) in eo servari, quod formulam usitatam retinendo, infirmis in fide, nullum posui offendiculum. Viderint modo Novatores & intempestivi Reformatores: an non ipsi nimiæ licentiæ fræna laxando, stigma

in

in conſcientia ſua contraxerint. κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν. Nihil itaque ſtringit me tuus Syllogiſmus ex 1 Cor. X, 23. cum laboret, quoad minorem fallacia petitionis τὸ ἐν ἀρχῇ. falſiſſima enim eſt iſta ſubſumptio: *cum nullius abuſus libertatis hac in cauſa mihi conſcius ſim.* Sic conſcia mens recti falſi mendacia ridet.

Ex hiſce Sole meridiano clarius eluceſcit. *Varietatem, ut aliorum rituum, ita etiam formularum benedicendi cum concordia Eccleſiaſtica bene conſiſtere poſſe;* modo rixandi libido abſit, firmoque talo conſiſtit mea a te impugnata propoſitio, ſc. concordiæ Eccleſiaſticæ nihil obſtare quandam rituum differentiam, circa quam vel maxime verſatur libertas Chriſtiana; rumpantur ut ilia Codro! Demiror ſaltem vehementiam affectuum tuorum hic ſe prodentium impotentius, *dum ægre fers* nos meditationibus & notis tuis per totam regionem diſſeminatis *refragari* aut obloqui, ac ſi oracula eſſent pari pietatis affectu cum S. Scriptura ſuſcipienda, & quod te, cauſam DEI, (cur non & bella Domini?) adverſus nos agere vel gerere gloriaris: quod denique ſingularem fiduciam reponis in manu, *qua tenebitur*, quod tu tam ardenter expetis; manu, inquam, procul dubio mortua; Brachio enim ſeculari de jure non expedientur iſtæ ſive meditationes ſive controverſiæ Theologicæ; ſed armis Spiritualibus decertandum erit, non ore gladii; ſed gladio oris; dabitque DEUS & nobis στόμα καὶ σοφίαν. Ne igitur, o Frater in Chriſto clariſſime! minis experire nobiſcum; ſed ea qua Tu erga nos uteris παῤῥησία te viciſſim a nobis privatis literis conveniri patere. Deſine quæſo! in publicum ſpargere noviter inventa παρὰ δοξα de neceſſitate morali formulæ benedicendi Aaronicæ. Talibus enim conatibus magis a te alienabis, quam tibi conciliabis animos omnium libertatis Chriſtianæ amatorum. Nullius enim eſt ponderis iſtud εὕρημα, etiamſi tibi tanquam fœtus tuus mire placeat. *Scribit Admod. Rev. Dignitas: Tibi neque per tubum opticum perſpicere licuiſſe, quo reſpectu moralitatem voci diſcordiæ potueris affingere;* At ſalva res eſt, o Bone! Fateor enim me *ambigue; citra tamen intentionem fallendi ſcripſiſſe.* Mens mea in adductis verbis hæc erat: *Te non voci diſcordiæ*, (ut tu ſiniſtre interpretaris:) *ſed rei in ſe bonæ vel indifferenti*, (ſc. Benedictionis Formulæ Num. VI. *moralitatem, vel potius moralem neceſſitatem attribuiſſe.* Interim id quoque monendum eſſe duco:

duco: *quod Benedictionem tam realem quam verbalem per se & absolute sanctam esse contendis;* cum tamen solus DEUS in Essentia sua per se & absolute sanctus sit; verbum autem DEI προφορικὸν (perinde ac opus quodcunque Divinum extra DEI Essentiam productum) non essentialiter, adeoque nec absolute sanctum sit; alias esset aut ipse DEUS aut attributum ejus aut actio immanens, cum ipso DEO ταυτότι. Pertotum quoque discursum tuum identidem committis fallaciam compositionis vel confusionis plurium interrogationum. *Aliud enim est ipsa Benedictio in genere;* aliud vero hæc formula benedicendi Aaroni & Sacerdotibus V. T. demandata; Illa pertinet ad legem moralem, quæ immutabilis ac perpetua & universalis est, omnesque homines obligat; hæc vero ad legem positivam Ecclesiasticam, quæ non perpetua & universalis est; sed ad tempus atque certis tantum Personis data, adeoque mutabilis, aut etiam aliquando particularis est. *Et quanqnam actiones Divinæ, causæ principalis & ministerialis ad unum eundemque effectum producendum concurrant, essentialiter tamen & formaliter non sunt eædem.* Unde fit: ut prædicationes verbi Divini & Sacramenta sint actiones Divinæ, id est, mandato & loco DEI, immo cooperante DEO, ab hominibus administratæ, quæ tam essentialiter, quam in suo usu legitimo spectatæ, non tantum morum; sed etiam fidei nostræ normam constituunt, adeoque, quamdiu eorum institutio durat seu valet, & per DEI voluntatem non abrogata est, invariabiles penes homines esse debent; atque hactenus non sunt positæ in libertate Christiana, neque sub liberam hominum electionem cadunt; formulæ autem, i. e. dispositiones orationum Sacrarum, conceptus verborum in precibus fundendis, & aliis piis ritibus adhibendis, nec non in explicandis fidei articulis & morum præceptis, licet ad Canonem S. Scripturæ exigendæ, non sunt eædem, sed pro ratione circumstantiarum ab Ecclesiis & earum Ministris variari possunt, adeoque sub libertatem Christianam cadunt.

Ut formulam benedicendi ad legem moralem commode referre possis: hanc pro arbitrio tuo excogitasti ejus definitionem: (tanquam δηλωτικὸν τοῦ τὶ ἦν εἶναι: quod scil. *sit modus prædicandi & conferendi Benedictionem*, quam pro tua potius hypothesi, quam pro vera definitione agnosco. Huic hypothesi tuæ in subsidium vocas

primo pervulgatum illud Metaphyſicorum vel potius Logicorum: *Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi.* Ex his præmiſſis talis in forma prodit Syllogiſmus:

Sub quacunque lege continetur modus ipſius Benedictionis, ſub eadem quoque continetur modus eam conferendi & prædicandi

Atque ſub lege morali continetur modus ipſius Benedictionis

Ergo ſub lege morali continetur quoque modus prædicandi & conferendi eam.

Reſpondeo ad Majorem: negando conſquentiam a modo eſſentiæ ad modum eam prædicandi & conferendi. Ad majorem autem hanc adſtruendam canon iſte tibi non favet. Senſus enim ejus in Logica hic eſt: Ut res ſunt, ita debent enunciari, id eſt, vere & rebus convenienter. Si fiat hujus Canonis applicatio ad Benedictionem Eccleſiaſticam, ita ſe habebit: Uti DEUS populo ſuo benedicit atque propitius eſt eidem, eum illuminando & cuſtodiendo; ita Sacerdos hoc ei prædicet & conferat. Canon ergo hic nihil ad rhombum facit; cum ibi nil aliud innuatur, quam congruentia cum rebus: id eſt veritas propoſitionum. Porro confugis ad Canonem Analyticum: *Affectio rei, quæ per Cauſas internas demonſtratur, & ex Eſſentia Subjecti immediate fluit, nonniſi per ipſam Eſſentiam, tanquam per Cauſam ſuam demonſtratur.* Verum & hic parum ſubſidii reperies: Agitur enim ibi de demonſtratione Affectionis per Cauſas internas, eſſentiæ Subjecti conſtitutivas, quæ (affectio) ex Eſſentia, Subjecti immediate fluit: adeoque nonniſi per ipſam Eſſentiam, tanquam per Cauſam ſuam demonſtratur; Aſt formula iſta benedicendi non eſt affectio immediate fluens e Benedictione, tanquam eſſentia ſubjecti ſui; ſed externum ſaltem ſignum eſt, eſſentiæ, illius voti ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ. Neque enim formula benedictionis ipſi benedictioni morali eſt ἴδιώδης aut ἐπιδιώδες ſed ſaltem accidentale quid; Eſſentia autem & accidens toto genere diſtant. Non licet ergo concludere ab eſſe ſimplicirer ad eſſe tale. Exprimitur ſæpiſſime in lege eſſentia actionis, ſeu quid agendum ſit; cum tamen modus agendi accidentalis non determinetur, ſed arbitrio prudentis Miniſtri aut Subditi committatur.

Jam

Jam reſtat adhuc, ut in Notis tuis penitius, at qua fieri poteſt, brevitate diſquiram, non tantum fundamentum ſeu medium terminum, ſed etiam connexionem iſtius cum Subjecto & Prædicato, qua nititur ſententia tua de formula benedicendi Aaronica, *quod ſub Lege ſit morali, non ad mores hominum; ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante.* Id aliter intelligere non potui, quam quod non tantum Eccleſiam, ſed etiam Ipſum DEUM legi cuidam morali, præter illam legem Moralem in Decalogo repetitam & hominibus, præſcriptam ſubjicis. Sed quid hoc eſt dicere? Mores DEI & lex Moralis ipſum DEUM obligans, *ſecundum quam* (pergis). *DEUS ſe in Eccleſia & erga Eccleſiam gerit.* Quis Theologorum unquam ita locutus eſt? vel ubi in S. literis hæc phraſis habetur? Hoccine eſt ſervare ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων? Si quando enim de DEO ἀνθρωποπαθῶς locuti ſunt ſani Theologi, fecerunt id, prævia S. Scriptura, vel duce Antiquitate puriore; non autem ἐξ ἰδίας ἐπιλύσεως. *Rudrauffium* quidem, ad cujus ſolius authoritatem provocas, nunc inſpicere mihi non licuit; fidem tamen tibi habeo, quod ſcripſerit: *DEUM ſibi Ipſi* (quaſi) *eſſe legem* in eſſentia ſua & voluntate; *quod hactenus in ſano ſenſu admitti poteſt*: an autem explicatio a te ſubjuncta ſit *Rudrauffii*, de eo certior fieri cupio. Pro abſurdo enim habeo: *DEUM ſibimet eſſe legem Moralem. Secundum quam DEUS ſe gerat &c.* Duplex igitur juxta Sententiam tuam erit lex Moralis, una: quam DEUS ſibi & Eccleſiæ ſtatuit; altera, quam hominum mentibus indidit, & in Decalogo repetitam, promulgavit. Ergone DEO & Eccleſiæ communes quoque ſunt mores, communis lex Moralis, qua DEUS & Eccleſia tenetur, homines autem minime? dicis enim illam ſpectare mores non hominum; ſed DEI & Eccleſiæ; cum tamen Eccleſia ex hominibus conſtet. Quid obſcurius? quid intricatius dici poteſt? Sed fortaſſis ſecundum meam explicationem, quam ſicco pede præteris, per mores DEI, & legem in DEO moralem tibi ſic dictam intelligis attributa DEI eſſentialia, quæ ſint quaſi Leges DEI naturales, legibus, quas DEUS Eccleſiæ & hominibus tulit, tam moralibus quam poſitivis infinite contradiſtinctæ. Verum, ſi & hoc *in ſenſu per ſimilitudinem vel potius allegoriam lex Moralis accipiatur*; nondum tamen video Connexionem medii termini cum Subjecto & prædicato, in argumento tuo; ſed ingentem hiatum invenio. Quæ

 enim

enim Conſequentia ? DEUS ſibi ipſi eſt quaſi Lex Moralis : Ergò formula benedicendi Num. 6. pertinet ad legem Moralem (illam ſcil. DEo eſſentialem , quæ DEUS Ipſe eſt , & quæ non ſpectat mores hominum ; ſed DEI & Eccleſiæ.) *Prætendis : te hac ſimilitudine eum in finem uſum eſſe , ut formulam Benedictionis trimembrem , & per Conſequens totum Miniſterium Curlandicum indiſſolubiliter ad DEUM ejusque voluntatem reſtringeres.* Sed quis unquam e ſimilitudine vel allegoria duxit argumentum Apodicticum ? Nec ſufficit : (quod porro inculcas) *Senſum Myſticum ad mentem ſuam explicare ;* ſed requiritur *quoque ejusdem probatio* : quod ea , intentioni Spiritus S. in Sacris literis loquentis reſpondeat. Quis enim alias extra has mentem Domini cognovit ? Inſuper quid opus erat. ad ipſam eſſentialem DEI voluntatem recurrere ? Sufficit nobis voluntas revelata in lege Morali ad mores hominum ſpectante , ex qua ſi potuiſſet demonſtrari : formulam benedicendi trimembrem præciſe omnes homines obligare , Majores noſtri id procul dubio quoque obſervaſſent ; & nos ita convicti , facile in Decalogo voluntati divinæ , aut alibi in V. & N. T. patefectæ morem gereremus. Dices forte : ſi non in Decalogo , tamen in hac lege divina poſitiva Num. VI. formulam iſtam eſſe expreſſam. Verum unde probabis , formulam iſtam non tantum Aaroni & ipſius filiis ; ſed etiam omnibus hominibus , vel ſaltem Miniſtris Eccleſiæ N. T. eſſe præſcriptam ? Summatim : quocunque te vertas , ex hoc argumenti tui Labyrintho exitum haud invenies. *Praterea ex abundanti & hoc addo , quod ne quidem vola neque veſtigium unici Exempli* hujus formulæ a Chriſto vel Apoſtolis adhibitæ , reperiatur. In Eccleſiis Pontificiis cœtus dimittitur , breviori formula : *Dominus Vobiſcum !* Quæ apud nos in Præfatione S. Cœnæ quoque adhibetur. *Bene tamen a Noſtratibus uſurpatur hæc ipſa e Num. VI. petita benedicendi formula ſive bimembris ſive trimembris : Nam & Regiomonti & in Pruſſia aliquando & alicubi trimembri ; aliquando & alicubi bimembri utuntur formula.* Bißweilen den kleinern / bißweilen den groſſen Seegen. *Quod ipſe ante annos plusquam quadraginta obſervavi.*

De cætero , Adm. Reverende Domine Paſtor ! non impugnabo enumerata ſub finem Epiſtolæ tuæ argumenta , partim magis , partim

tim vero minus probabilia, pro recipienda vel potius introducenda Benedictione trimembri. Sed quoad hoc, totus a nutu Sereniſſimi Principis ac Domini mei Clementiſſimi, tanquam Eccleſiæ hujus Orthodoxæ Provincialis, Epiſcopi Supremi, & ſub felicibus ejus auſpiciis (DEO volente) cogendæ Synodi venerabilis, pendeo. *etiam a Te non monitus.* Modo tu Vir Eruditiſſime libertati noſtræ Chriſtianæ parcas, quod Divinum in te Numen operari atque gratioſa jucundaque coactione (quatenus citra contradictionem in adjecto fieri poteſt) voluntatis tuæ, non compulſiva, ſed impulſiva ſeu perſuaſiva perficere velit! Salutem quoque Adm. Rev. Dign. Tuæ, quamplurimam a DEO omnis veræ Salutis fonte inexhauſto ex animo apprecor. Is te donis gratiæ ſuæ, quibus jam tum egregie ornatus es, ulterius impleat in Nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ædificationem. Eos autem qui te dente Theonino fortaſſe rodunt (ut conquereris) DEUS Pacis convertat; ſin incorrigibiles ſunt, conterat! cujus tutelæ te iterum iterumque meo & meorum nomine ſalutatum commendo, permanens, quoad Spiritus hos reget artus

Adm. Rev. Dignit. Tuæ

Usque ad aras devinctiſſimus Συμπρεσβύτερος
& in Chriſto Συνεργάτης

Goldingæ,
D. 2. Dec.
ao. 1719.

Bernhardus Johannes Nereſius,
Præp. Gold.

VIRO

Admodum Reverendo, Clariſſimo atque Doctiſſimo Domino Chriſtophoro Sennerto, Paſtori Eccleſiæ Piltinenſis digniſſimo, pariter ac fideliſſimo, Amico meo & in CHRISTO Fratri conjunctiſſimo pateant hæ

in Parochia Piltinenſi;

DUPLI-

DUPLICA.

I. N. D. I. C. A.

Gratiam & Veritatem cum Pacis Authore JESU CHRISTO.

Vir Maxime Reverende, Clariſſime atque Eruditiſſime Domine Præpoſite, Fautor imo PATER in CHRISTO, merito venerabilis!

TAmetſi locorum, ubi degimus, diſtantia non adeo longo itineris laboret intervallo; tamen Epiſtola tua 2 Decemb. ſcripta; ſed 28. ejusdem veſperi mihi inſinuata, ingenti temporis intervallo eſt affecta: quod ejusmodi hominibus, qui negligentim eam habuere, juſto zelo eſt imputandum, ut alias tali negotio ſibi demandato, melius invigilent. Sed ad rem! Ego poſt aliqua M. R. T. D. Epiſtolæ præliminaria perſpicio: quod tali adhuc opinioni inhæreas: *acſi ego a Dominis Præpoſitis cenſuram meditationum mearum Theologicarum expetiviſſem*: cui obſirmandæ tuæ opinioni ſubdis allegatum ex literis meis, una cum incluſis Notis ad Meditationes meas, Dominis Præpoſitis transmiſſis: quod, ſi de verbo ad verbum in Epiſtola tua fuiſſet expreſſum, tale foret: *Ideoque ego in pio hoc meo propoſito ſcopo atque fine, me pios æquosque cenſores habiturum, ſperare queam: cum nihil aliud intendam: quam quod toti Eccleſiæ Curlandicæ, noſtræque Piltinenſi, perquam foret ſalutare. Moderetur igitur Summus rerum Moderator DEUS totum hoc negotium omniumque in eo occupatorum animos: ut finis iſte ſalutaris mihi præfixus, ab omnibus pie & ſine ullo privato affectu, perpendatur, accordetur & promoveatur.* Judicet jam juſtus & æqvus rerum æſtimator & arbiter! quam violenta & injuſta verborum meorum mentisque meæ ſit interpretatio, & quanta mihi vis & injuria inferatur!

Sed conferamus hæc invicem: quod mihi a vobis imputatur: & quod ego intenderim: tunc ſalva res erit: quod mihi vis & injuria ſit illata. Ego intendi M. R. Dominis Præpoſitis transmittere

Notas

Notas meas (quoniam perceperam: quod MEDITATIONES meæ THEOLOGICÆ iis fuerint a Summe Rev. Domino Superintendente communicatæ) *quo mens mea omnibus tanto dilucidior pateret.* Vos invertitis meam intentionem & mentem, & uno calamo quasi venditatis:

me Censuram Meditationum mearum a vobis expetivisse.

Ego intendi: Scripto meo uniformitatem formulæ Benedictionis Num. VI. expressæ, toti Ministerio Curlandico persvadere, quæ & nostro Piltinensi debebat esse salutaris; vos venditatis:

me Censuram Meditat. mearum a vobis expetivisse.

Ego intendi: Vobis bonam spem meam explicare: quod speraverim: me vos in pio meo proposito, scopo atque fine, pios æquosque Censores habiturum; vos venditatis:

me Censuram Meditationum mearum a vobis expetivisse.

Ego intendi: *pio affectu DEUM Summum rerum Moderatorem sollicitare: ut totum hoc negotium, omniumque in eo occupatorum animos moderetur: ut finis iste salutaris mihi præfixus ab omnibus pie perpendatur, accordetur & promoveatur;* Vos venditatis

me Censuram Meditat. mearum a vobis expetivisse.

Bone DEUS! si Sacra Scriptura a vobis ita deberet interpretari; quo dilaberemini! Quare ego insuper adhuc provoco ad id, quod in Meditationibus meis loco Epilogi a me expressum est: ex quo justitia mea adversus vos tanto clarior elucebit. Quod autem Vir M. R. a me scisciteris

Quis me, controversiæ inter Dominum Superintendentem & vos ortæ Censorem, imo Domini Superintendentis propugnatorem constituerit? *Quin etiam*, & quidem imperative me ad candidam confessionem movendo: Quis sit: qui me ad hoc scribendi genus conduxerit? *Porro* quo jure ego vos pro Adversariis Benedictionis trimembris venditare audeam?

Ad hanc tuam scisciationem hæc paucula responsionis loco, *hac vice* habeas: quæ in meditationibus meis Epilogi loco continentur, & inter alia hoc: *Dubius equidem per aliquot dies me in eo afflixit animus; donec tandem non alio; nisi instinctu Divino (uti firmiter confido) rem hanc magni momenti aggressus sum.* Si hæc M. R. T. Dignitati non satis faciunt, agedum! tunc ipsum fontem tibi aperiam! qui apertus ex

parte,

parte, etiam in Meditat. Meis §. 3. & §. 4. invenitur. Præprimis autem iſtud agnoſces ex eo: quod Dominus Anonymus Scriptum ſuum. M. R. D. Tuæ ſatis notum, in publicum divulgaverit, iſtudque quibusdam Dominis Politicis non infimi ordinis authoritatisque in noſtro Diſtrictu communicaverit; qua liberalitate per bene ſuperſedere potuiſſet; niſi hoc, reſpectu quodam feciſſet, mihi non penetrabili. Quare, cum mihi Scriptum iſtud ab Excellentiſſimo Domino Heuckingio, Conſiliario Provinciali perlegendum traderetur; inſcio: cujus MATRIS fœtus eſſet: neque in id inquirenti, & licet inquirenti; tamen hoc ſcire denegato & rogato: ut mentem meam de hac re ei aperirem: tunc præviis piis meditationibus & fidelibus ſuſpiriis ad DEUM, ſuper totam hanc materiam effuſis, tandem hoc negotium, adſiſtente divina gratia aggreſſus ſum: expers utriusque partis ſtudii; niſi in eo, in quo cum una aut altera parte ſecundum veritatem conſentire debebam. Quo negotio peracto, Scriptoque meo ad calcem perducto, ego Generoſiſſimo Domino Conſiliario Provinciali non tantum Scriptum Domini Anonymi communicatum remiſi; ſed etiam meas Meditationes Theologicas ei adjunxi: Qui ſimul ac eas perlegiſſet, e veſtigio, (me, ita me CHRISTUS amet, inſcio) ad Generoſiſſimum & Excellentiſſimum Dominum Cancellarium Mitaviam transmiſit: ut Domino Superintendenti communicarentur, qui mentem ſuam de hoc Scripto meo aperiret: Cui Domino Superintendenti ego etiam aliud exemplar ejusdem tenoris transmiſi; verum neſcius utrum eo citius & prius peruenerit. Ex eo Vir M. R. candorem meum agnoſces: quod candide fatear:

> me neque a quopiam alio cenſorem controverſiæ inter vos & Dominum Superintendentem ortæ, conſtitutum; neque me ipſum conſtituiſſe; nedum Propugnatorem Domini Superintendentis eſſe voluiſſe (quod ex §. 21. Meditat. mearum liquido patet) adeoque a nemine, tanquam mercenarium ad tale genus ſcribendi conductum eſſe;

ſed ſolius veritatis ſanctiſſimæ inquirendæ, & diſſenſus atque controverſiæ inter vos ortæ componendæ gratia, ad hoc genus ſcribendi manum alias haud otioſam applicuiſſe. Quod ſcribendi genus, ſi a vobis meliori animo & intentione ſuſceptum fuiſſet; mihi

tantum

tantum non faceſſiſſet, in aliis officii mei negotiis cumulate occupatiſſimo prolixas controverſias enodare; quod tamen nil impedit; quin ego rem iſtam, cum quocunque, fundamentum a me poſcente, quantum DEUS mihi conceſſerit gratiæ ſuæ vires, expediam. *Quo autem Jure ego vos pro Adverſariis Benedictionis trimembris venditare audeam*, uti M. R. T. D. a me ſciſcitatur: ad iſtud reſpondeo: me hoc nuperrime ex mente veſtra ſcripſiſſe, utpote, qui vos Benedictionem trimembrem adeo extenuatis: quaſi digna ſit, ut a libertate Chriſtiana rejiciatur, abrogetur, & quaſi de Solio ſuæ "exiſtimationis deturbetur: *quoniam Judaiſmum ſapit: adeoque Aaroni "& filiis ejus data eſt; non autem Chriſtianis a jugo cum infidelibus per "Chriſtum libertatis. Ideo ſtudio ab ea eſſe recedendum.* Quin, quod Dominus Anonymus in Scripto ſuo Benedictionem bimembrem apud vos Majoris; trimembrem autem Minoris Sanctitatis, adeoque il-"lam huic præferendam eſſe ſtatuit, ſcribens: *His præmiſſis, facile "quis judicabit: quæ Formula magis Judaiſmum aut Chriſtianiſmum ſapiat? "quæ Formula apud nos Majoris Sanctitatis ſit; quæ Minoris, & per conſe-"quens: quæ alteri jure ſit præferenda vel minus: vid. Script. Anonym. §. 6. in fine.* Hoc Scriptum vos defenditis, tanquam *eruditum*, & toties etiam provocatis ad iſtud (cum tamen nil aliud ſit & in ſe contineat, quam μεβάβασιν εἰς ἄλλο γένος). Qui igitur negare poteſtis? quod non ſitis Adverſarii Benedictionis trimembris, quam ego defendendam ſuſcepi. Unde igitur hoc: quod M. R. T. D. ſcribit in moderna tua Epiſtola:

Qui nunquam eam (utpote æque divinam atque bimembris oppugnavimus.

Neſcio: quo ego iſtam contradictoriam referre debeam!

ad captandam vanam gloriam illa mihi plane non inſervit: quoniam ego nullam talem gloriam aucupor?

me de Adverſariis velle gloriari: de quibus triumphum ante victoriam canam.

Abſit! abſit! a me omnis vana gloria in hoc alioque negotio; Soli DEO ſemper in omnibus ſit gloria! Tantum hac vice ad modernam Epiſtolam M. R. T. D. *pro particula* Reſponſionis ad eam eſto: quoniam aliis occupationibus impeditus, totam ſeriem in reſpondendo pertexere haud valui. Brevi tamen cætera ſunt ſubſecutura.

Protegat interim D. T. O. M., M. R. D. Tuam ſalvam atque incolumem! ſitque tam ſub Novi Anni felicibus auſpiciis: quam etiam ſemper SOL & SCUTUM tuum, neque tibi tuisque chariſſimis aliquid exoptabilis Boni deeſſe ſinat! Amiciſſime ſalutatus cum tota Familia tua, fave

M. R. D. Tuæ

Ad quævis Charitatis officia in Chriſto devinctiſſimo

Piltini, d. 30 Dec. ac. 1719.

Chriſtophoro Sennerto, Paſt. Pilt.

I. N. D. J. C. A.

Gratiam & veritatem cum Pacis Authore JESU CHRISTO.

Vir maxime Reverende, Clariſſime atque Eruditiſſime Domine Præpoſite Fautor, imo PATER in CHRISTO merito venerabilis!

A Gloria Soli DEO in omnibus tributa, qua particulam Reſponſionis meæ ad nuperrimas tuas Literas, quaſi obſignavi: filum Reſponſionis; quamvis incredibili occupationum περιςάσει circumdatus, reaſſumo, atque ſequentia cum antecedentibus connecto. Verum, quoniam multa mihi in ſerie Literarum tuarum occurrunt: quæ præter ſpem etiam meam a te per affectum quendam ſunt ſcripta, & magis compaſſionem aliquam cum aliquo permiſſibilem; quam ægritudinem animi reprehenſibilem ſapiunt: veluti

de Scommatibus: de mihi ſoli Divinitus dato: intima cordium penetralia dijudicare & Spiritus probare: utrum ex DEO ſint, item: de animoſa provocatione ad arenam Academicam &c.

Ideo

Ideo etiam M. R. D. Tua non inique interpretabitur: quod de induſtria ad hæc nihil reſpondeam: quoniam ita ſunt comparata: ut, ſi conſideratis omnibus circumſtantiis ad horum reſponſionem pertinentibus, reſpondere vellem, ſi non ad iram, tamen ad triſtitiam Te commovere valerem: in quo utroque tibi parcendum eſſe, in animum induxi meum, ut ex eo cognoſcas, me eo minus φιλονεικίας eſſe δυψαλέον, adeoque magis ab ἐριθείᾳ καὶ τῇ κενοδοξίᾳ abſtinere. Perſvaſus enim, mihique ipſi jam diu conſcius fui ex

Apoſtoli monito: Δῆλον Κυρίῳ ὃ δεῖ μάχεσθαι; ἄλλ᾽ ἤπιον εἶναι. Πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον. Ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. 2 *Tim. II*, 24. 25.

Si jam dicere vellem: quod monitum iſtud Apoſtolicum in me quadret: utpote, cui litigandi animus longe abeſt; non abs re facerem: quoniam non ego; ſed M. R. D. T. mihi arenam Academicam movit, adeoque primus fuit, qui per modum comminationis, τῷ μάχεσθαι in arena Academica, mentionem fecit, cum M. R. D. Tua in priori Epiſtola ita ſcribit:

Ne tamen rigidum nimis cenſorem agere, & in arenam Academicam tecum deſcendere videar.

Quo tamen ego hactenus ſponte non inclinavi; niſi a te laceſſitus, qui mihi arenam Academicam minitaris, eamque terriculamenti loco habes; ſed μηδὲν ἄγαν! Novit enim M. R. D. Tua, me hæc "ad te verba perſcripſiſſe: *verum, quoniam officium ſeu Miniſterium* "*noſtrum Eccleſiaſticum nos arctius conſtringit; quam ut tali ambiguitati* "*incumbamus; qua Eccleſiæ Chriſti nobis commiſſæ, magis confunderentur;* "*quam fundamento rei controverſæ inædificarentur: imo nosmetipſi exacer-*"*batis animis conflictaremur: ſatius eſſe duco: &c. &c.* Quid igitur opus eſt aut prodeſt? per Sarcaſmum ſcribere:

Quod ego vos ſat animoſe in arenam Academicam provocem:

Cum tamen ſincera meditationum mearum Theologicarum intentio fuerit:

καλανοεῖν ἀλλήλους ἡμᾶς εἰς παροξισμὸν ἀγάπης, καὶ καλῶν ἔργων. *Hebr. X*, 24.

Quid enim ego vos in arenam Academicam provocarem? qui quaſi Aquilæ eſtis Eccleſiæ, in ſublimitate Clericali volitantes; ego autem Luſcinia quaſi ſum, præter vocem Concionatoris nil altum atque ſublime ſpirans. Ἀηδὼν γὰρ μὴ εἰς μῶλον καλέσει Ἄρηα! Sed jam M. R. T. D. me potius provocat ad tractionem rei controverſæ, eo quod ſcribit:

> Nec dubito: quin in hac cauſa formulæ benedicendi quoque pars utraque ad forum & judicium S. Scripturæ, illæſa mutua charitate & concordia Spiritus provocare poſſit; minime autem privatis affectibus mancipare, aut erroneæ opinioni, quoad uſum alterutrius formulæ, alteram inſimulare debeat.

Ad quod regero: me certo & firmiter ſtatuere: quod utraque pars ad forum & judicium S. Scripturæ in hac cauſa (ita uti tu ſcribis) non poſſit provocare: quoniam ingens inter utramque partem intercedit differentia. Una enim pars, a trimembri Benedictionis formula ſtans, effato Divino abſolute & ſimpliciter inſtat, propterea ad forum & judicium S. Scripturæ illæſa conſcientia provocat, atque bimembrem formulam pro mutilata habet & incompleta: *quoniam deſtituitur plenitudine effati Divini.* Hinc etiam ſtatuit: *Libertatem Chriſtianam ſe eo non extendere, ut ſuper effatum divinum, in unica re ſeu materia indiſſolubiliter connexum, diſpenſare poſſit:* ita, ut principalius membrum Benedictionis omittatur. Si enim libertas Chriſtiana tanta polleret poteſtate: cur non etiam ſecundum membrum Benedictionis omitti, & unicum tantum nempe: tertium adhiberi poſſet in Eccleſia? Quid vos diceretis? ſi, (quod DEUS clementiſſime avertat!) fanitici quidam exiſterent: qui tertium Benedictionis membrum ſolum eligere vellent pro Eccleſiaſtica Benedictione: contendentes: iſtam formulam eſſe veram, legitimam, imo ſanctiorem; Benedictione trimembri & bimembri? "Num vos in hac cauſa formulæ benedicendi *cum illis ad forum & "judicium S. Scripturæ illæſa mutua charitate & concordia Spiritus provoca-"retis? nolentes eos inſimulare erroris, quoad uſum talis formulæ.* Hoc nunquam de vobis mihi perſvaderi paterer. Quare vos ipſi dijudicare poteſtis: qua illæſa mutua charitate, & concordia Spiritus vos cum altera parte, pro trimembri Benedictionis formula ſtante, ad forum & judicium S. Scripturæ provocare poſſitis: cum iſta pars una

una cum S. Scriptura Vobis ſit contraria. Illa enim cum S. Scriptura facit; Vos contra. Illa neque aliquid addit ad effatum divinum, neque diminuit ab eo; Vos autem diminuitis ex eo: ideoque S. Scriptura vobis eſt contraria, in ſe hæc, contra vos verba prohibitoria continens: *Quicquid ego præcipio vobis, cuſtodietis, ut faciatis; non addes ad illud, neque diminues ex eo, Deut. XII, 32.* Ἐπικαταράατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις τοῦ νόμου. *Gal. III, 10.* Qua igitur ratione vos ad forum & judicium S. Scripturæ provocetis, ipſi videbitis: cum perpendetis: quod vos penes hoc, ordinationem divinam, in adminiſtratione Benedictionis veſtræ bimembris, invertitis. DEUS enim trimembrem Benedictionis formulam ita ordinavit: ut in V. T. Aaron & ejus filii populo Judaico eam adminiſtrarent; non autem Levita aut Cantor aliquis, aut totus cœtus; Vos autem in N. T. (in quo nos Aaronis & filiorum ejus, in Chriſto ſumus ſucceſſores, utpote qui Chriſtum in Sacrificiis, tamquam umbris adminiſtrarunt, inque eo, populo Iſraëlitico benedixerunt; nos autem Chriſtum in corpore adminiſtramus, inque eo, populo benedicimus) non tantum contra trimembris formulæ ordinationem, bimembrem legitimatis; ſed etiam ordinationem iſtam, quoad Perſonas invertitis, ita, ut, quod vobis tanquam Miniſtris verbi Divini ad benedicendum populo, conſtitutis, ex officio faciendum & dicendum eſt; vos Cantori & Choro, imo toti Cœtui iſtud committatis: acſi illi iterum Paſtori benedicerent poſteriori Benedictionis membro, uti Paſtor illis benedixit priori membro. Animadvertite quæſo! propter DEUM immortalem! quo vos veſtra libertas Chriſtiana abducit! & perpendite iſtam veſtram bimembrem formulam taliter a vobis uſitatam, dum Paſtor canit: Der HErr HErre erleuchte ſein Angeſicht über euch/ und ſey euch gnädig! Cantor autem Chorus & totus Cœtus reſpondent: Der HErr HErre erhebe ſein Angeſicht über euch / und geb euch ſeinen Frieden! Nonne igitur dimidiatis formulam iſtam, vobis ſolis ex officio totam adhibendam? Nonne tribuitis alteram ejus partem iis, eam non effari & pronunciare; ſed ſuſcipiendam competentibus? Nonne directe DEO ejusque deſpoticæ ordinationi adverſamini? Meditamini igitur κρησφύγετα per carnalem ſuggeſtionem fictu poſſibilia; tamen nunquam effugietis forum & judicium S. Scripturæ adverſum vos; ſed in eo hærebitis, tanquam

mus in pice. Iam itaque æſtimare poteſtis: quantum ponderis illi Oraculo inſit, a Domino Anonymo prolato ita ſonanti: §. 5.

Ad quæſtionem ſecundam reſpondeo: Formulam Num. VI, 24. 25. 26. dictæ noſtræ uſitatæ non eſſe præferendam aut in ejus locum ſubrogandam.

§. 6. Hic prius notandum: qua in re inter ſe conveniant aut differant formulæ iſtæ? Conveniunt (1) quoad eſſentiale formulæ, ſcil. benedicendi. (2) Conveniunt etiam, quoad materiale. Nam noſtra uſitata exprimit verſiculum 25. & 26. Num. VI. notatum; Differunt autem quoad ceremoniale, ſc. formam externam. Nam (α) noſtra tantum ſpecialem continet Benedictionem verſ. 25. 26. contentam. Illa Levitica prius benedicit in genere ex verſ. 24. & deinde in ſpecie ex verſ. 25. & 26. (β) noſtra binis commatibus abſolvitur; illa trinis, (γ) noſtra partim a Paſtoribus, partim ab Auditoribus profertur; illa tantum a Sacerdote, populo tantum addente τὸ Amen! Et ſic apparet: diverſitatem tantum conſiſtere in circumſtantiis externis ſeu ceremonialibus. Cui oraculo vos ita applauditis, acſi ex tripode dictum foret; Sed, ſi aut aliquid loqui aut ſcribere ſufficeret, neſcio, quis quid pro quo hoc facere poſſet. Quapropter ſumma cautione opus eſt, ne impingatur, aut in S. Scripturam, aut in ſacram ejus authoritatem. In eo enim ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφώτερος, niſi Spiritum S. Ducem, & S. Scripturam Comitem habet.

Ita ego detexi, non tantum infirmitatem uſitatæ veſtræ formulæ; ſed etiam animi veſtri morbum, quem occultare amplius non bene eſſet conſultum: quoniam καλύπτειν τὴν νόσον λύγρον. Quare ego vobis medelam aliam propinare non poſſum: quam quæ tanquam ſalutare aliquod Recipe *Num. VI, 24. 25. 26.* ab ipſo DEO vobis eſt præſcripta, & pro curando animi veſtri morbo probatiſſima reperietur. Hoc conſilii vobis impertio, nulla adhuc dum ἐφορείας authoritate pollens, neque mihi iſtam nunquam per ſomnium imaginans; ſed ſoli gregi Piltinenſi præfectus, quem pro divina mihi conceſſa gratia (etiam citra tuum importune monitum:) ſedulo paſco, ἀλλοτριοεπισκοπίαν non meum faciens ἄλλ ἥσσων ἀσμένως τόπον διδὰς μείζονι.

Verum

Verum enim vero, quam nimis affectuoſe M. R. T. D. minus dicit, quod res eſt: dum mihi trabem τῆς τόλμης καὶ ἀυθαδείας in oculo meo eruendam oſtendis, quam nonnemo juxta propriam meam confeſſionem, (non per conjecturam, ſed mihi certo notus & a me ipſo allegatus:) tribuit: hoc tibi ob oculos (juxta tuam opinionem) meo judicio feſtuca diſcordiæ ſeu potius diſſenſus affectos ponam. Iſte enim non nemo, non per conjecturam; ſed certo notus, a me eſt allegatus, & ſi aves illum noſcere: tunc ſat bene noſti M. R. Dominum Præpoſitum Rhode, qui in literis ſuis ad S. R. Dominum Superintendentem ſcriptis, inter cœtera judicii ſui, de Meditationibus meis, atheologici, atheologica ita ſcribit: Der liebe Herr Paſtor Sennert ſuchet unter dem Mantel der zwiſchen uns unglücklich entſprungenen Mißhelligkeit/ ſeinen Irrthum zu verdecken/ &c. Egone igitur ſum ille, qui vobis feſtucam diſcordiæ tribuit? Mihi equidem animus non eſt: iſtam τόλμην καὶ ἀυθαδείαν retorquendi & oſtendendi: quam ingens propria tua ſit τόλμα καὶ ἀυθαδεία: quod me tantis afficere injuriis non abſtines; Sed ſi ego dicerem, quod res eſt: tunc vos pro nimium injuriis in me habere poſſem. ſed tranſeat hoc cum cœteris erroribus; tali enim pacto vos nunquam ad agnitionem veritatis rei controverſæ animum veſtrum eſtis applicaturi; ſed ſemper extra oleas verſaturi. Hinc etiam mihi videor, vanum mihi faceſſere negotium, vobis multa reſcribere: cum ſentiam vos non conſiderare monitum Apoſtol. a M. R. T. D. allegatum *ex* 1 *Tim. VI.* 1. 2 *Tim. II.* 23. Αἰσχία γὰρ νείκεος νεῖκος. Quambrem ego etiam a multis Epiſtolæ Tuæ contentis abſtinebo, quoniam rixas olent. Vale & fave

M. R. T. D.

ad quævis Charitatis officia in Chriſto devinctiſſimo

Piltini d. 10. Jan. Ao. 1720.

Chriſtophorus Sennertus, Paſt. Pilt.

I. N.

I. N. D. J. C. A.

Gratiam & Veritatem cum Pacis Authore JESU CHRISTO!

Vir Maxime Reverende, Clariſſime atque Eruditiſſime Domine Præpoſite Fautor, imo PATER in Chriſto, merito venerabilis!

ETſi a rixis libenter alſtinere velim, uti ego in Literis meis d. 10. Jan. ad T. transmiſſis, me expectoravi; tamen ad definitionem, quam M. R. D. T. ex penu tuo demprompſit, non poſſum quin reſpondeam: quoniam alias putares: Te ingentem Piſcem cœpiſſe, & quidem in littore, quod non cujus vis eſt. Δία γὰρ ἀκτῆς κῆτος λάζεσθαι ἐχ ἅπαντος. Tota n. Definintio Tua eſt mixtura diverſorum, qua conjungis dividenda: dum Paſtorem & Eccleſiam, preces atque vota conjungis; quæ tamen in Formula Benedictionis, imo in ipſa Benedictione, ſunt diverſa. Paſtor enim eſt Subjectum Formulam Benedictionis proferens, eaque Eccleſiæ benedicens. Eccleſia autem eſt Objectum, Formula Benedictionis benedicendum. Et quid preces & vota Paſtoris & Eccleſiæ unanimiter conjuncta in hac Definitione ſibi volunt? num etiam ad Formulam Benedictionis Eccleſiaſticæ pertinent? Et ſic tandem aliquando totum Cultum Divinum a Paſtore & Eccleſia celebrandum ad formulam Benedictionis Eccleſiaſticæ referetis. Et quid dicam de Genere Definitionis? quod aperte vitioſum eſt: quoniam vitioſo laborat principio. Nam hic non eſt Sermo de alia quadem Formula Benedictionis Eccleſiaſticæ adhuc excogitanda per Conceptum Verborum humanorum; ſed de formula, expreſſis verbis Divinis. Num. VI. 24. 25. 26. a DEO inſtituta, ex quibus Verbis vos etiam Veſtram bimembrem Formulam deſumpſiſtis. "De hac Formula hic quæſtio eſt: *An illa ſit Conceptus Verborum, quo "Paſtor & Eccleſia preces & vota ſua unanimiter atque rite conjungunt &c.* quod firmiter & conſtanter nego! Quid enim Conceptus verborum humanorum debet præjudicare expreſſis Verbis Divinis tanquam

quam legalibus ? ſufficit nobis Conceptus verborum Divinorum expreſſus, quæ Verba ex ſanctori conceptuum fonte emanarunt, quam Conceptus Verborum Veſtrorumeſſe poteſt. Vere igitur, Genus Definitionis Tuæ laborat Fallacia ſeu Elencho Principii, quia ex falſo oritur principio Theologico : Item : Ignoratione Elenchi Quæſtionum : quoniam alia eſt quæſtio de Formula Benedictionis a DEO jam expreſſis verbis inſtituta, & alia de Formula quadam ex Cerebro Veſtro excogitanda, qua per Conceptum Veſtrum ſuper Ordinationem & inſtitutionem Divinam diſpenſare vultis. Quam Poteſtatem vos, vobis per Conceptum Verborum arrogare non poteſtis. Eſt itaque non tantum vera Benedictionis Eccleſiaſticæ Definitio ea, quam Ego in Meditationibus meis dedi ; ſed "etiam Formulæ illius, quam hic exprimo ; *Formula Benedictionis "Eccleſiaſticæ eſt comprehenſio Verborum DEI legalium Num. VI. 24. 25. 26. "contentorum : quibus Paſtor Verbaliter Benedictionem realem a DEO pro- "miſſam populo prædicat i. e. pronunciat & confert, pro obtinenda omnige- "na DEI Gratia, Cuſtodia, &c.* Hæc Definitio firmius ligat, imo vos obligat : ut miſſo Veſtro Conceptu Verborum expreſſa DEI Verba recipiatis, iisque Benedictionem adminiſtretis : neque adeo, mordicus Opinioni Veſtræ inhæreatis : quaſi iſta Verba

nihil ad vos : quoniam Aaroni & ejus filiis ſunt data.

Si enim iſta nihil ad vos, & ſi tanquam Lex poſitiva V. T. particularis vos non obſtringeret ; cur igitur aſſeritis :

Vobis nunquam in mentem veniſſe aſſere : quod non poſſit admitti Formula illa, Aaroni & filiis ejus tradita ; modo cœtera ſint paria.

Ita vos ſæpius Vobis metipſis contradicitis : imo etiam aſſertum veſtrum de Formula bimembris, cum trimembri (quoad eſſentiale ſ. quatenus Benedictio eſt) reali convenientia ; & in conceptu Verborum parva inter eas intercedente differentia, arenæ Arabicæ ſuperſtruitis. Quid enim eſſentiale Formulæ aliud eſt, quam ipſum יְבָרֶכְךָ benedicere cum omnibus ſuis requiſitis ? Si jam Formula trimembris omnia in ſe continet requiſita, etiam ad minimum apicem Verborum a DEO promulgatorum ; Veſtra autem bimembris generalibus Benedictionis verbis, & principaliori membro caret ; qui igitur realiter quoad eſſentiale ſ. quatenus eſt Benedi-

 ctio,

ctio, cum trimembri formula convenire poteſt? Fateor equidem: me in Meditationibus meis Theol. Formulæ bimembri multum ultro donaſſe: dum ei differentiam inter trimembrem, in aliqua Circumſtantiola tribuerim; quo ipſo Ego utriusque partis Controvertentis animos mihi conciliare, anſam eis ad Concordiam præbere: imo multorum metuentium conſcientiis, acſi per bimembrem Formulam, veram Benedictionem non obtinuiſſent, bene conſulere volui. Quare Ego totam Controverſiam §. 6. & 7. Meditationum mearum ita extenuavi: ut mihi omnes tanto faciliores redderem, qui accordarent in Formulæ trimembris receptionem: præcipue, cum, ſi quis citra privatum affectum Scriptum meum legat, veritas legitimatæ & juſtificatæ Formulæ trimembris, ibi quaſi ad Solis Lumen ſit expoſita? Si enim contra bimembrem Formulam ſcribere voluiſſem: Bone DEUS! quam horribiles conſequentias ex deducere potuiſſem, quas Nonnemo atheologice deducere, mihique imputare voluit; ſed ab argumentis meis ad ſaniorem mentem redactus, nunc acquieſcere cogitur. Hoccine igitur debet eſſe.

Pomum Eridis in medium projectum? quoniam Doctrina mea de Formulæ trimembris introducendæ, neceſſitate morali, vobis nova videtur.

Nova quidem eſt: & vere: quoniam nemo unquam de hac inter vos orta Controverſia aliquid docuit ſeu ſcripſit, tanquam hactenus in audita, quantum mihi per Hiſtoriam rerum & temporum ex nullis indubitatis documentis aliter conſtat. Quare ego hac Doctrina neque meam oneravi Conſcientiam, neque infirmis ullum poſui offendiculum, eo quod voluerim Controverſiam & Diſcordiam in Miniſterio Curlandico componere, eique perſvadere ut uſitata Formula abrogetur, & altera brimembris introducatur; Potius omnes Prudentes, tam Summæ, quam infimæ Conditionis, a privatis affectibus alieni, apertis quaſi oculis jam vident nævum uſitatæ Formulæ, & avent: ut trimembris illa ubique introducatur. Sed

quod hæc res per ſe bona a Vobis per accidens tam male redditur.

Ipſi

Ipſi videbitis, quomodo cum Conſcientia Veſtra accordetis. Miplane hic animus non eſt: vobis Conſcientiæ meæ de hac re affectum explicandi neque inquirendi: quomodi Veſtræ ſint affectæ Conſcientiæ: neque effectum bene aut male affectæ Conſcientiæ oſtendere; ſed potius exopto, toto cordis affectu: ut amborum Conſcientiæ in hac Controverſia ſint illæſæ, & tandem inter ſe bene conveniant, remiſſis contentionibus, bona & jucunda Cohabitatione in Unum coëant. Quo reſpectu ego etiam multa prolixaque reſponſione ſuperſedeo; quicquid etiam Commiſſarum a me Fallaciarum mihi objicis. Nullam enim tam in priori Argumento (quod per Fallaciam Petionis principii: per Ignorationem Elenchi: & per Fallaciam a Dicto S. Q. ad D. S. caſtigas) quam etiam in hoc Syllogiſmo ex I. Cor. X. 23. formato, Fallaciam mihi objicere potes, quam Tibi non pluries remittere poſſum. Quid enim hic per Petitionem principii intelligis? Num idem per idem: num incertum pro incerto: num infirmum pro infirmo: num ignotum per æque ignotum? uti hæc fallacia definitur. Quid per Ignorationem Elenchi? & quid per dictum S. Q. ad D. S.? Sane non ſufficit aliquid objicere; Sed vere demonſtrare, uti ego in Definitione Veſtræ Formulæ feci; alias, neque DEUS, neque Sacra Scriptura a Fallaciis, iis imputandis, eſſent immunes. Si enim "Vir M. R. ex iſtis Scopis diſſolutis (quas ſpargis *de Conceptu verborum* "*qualiumcunque*, *gratiam DEI*, *S. Scriptura conformiter exprimentium*, "*quem Conceptum cæteris ritibus piis*, *formulis precandi*, *concionandi &* "*Sacramenta adminiſtrandi, quibus Eccleſia in Cultu Divino publico libere uti-*"*tur*, *annumeras*, *& qui Conceptus Num. VI. in V. T. Lege certa poſitiva* "*Aaroni & filiis ejus præſcripta divinitus fuit*, *adeoque ſub Sacerdotum V.* "*T. libertatem liberamque electionem non venit* recolligere & componere vis iſtas Fallacias: tunc omnes in Te recidunt, neque ab iis eliberare poteris, quicquid etiam prætendas. Elenchum enim alieni & Fallaciam Compoſitionis ferme in omnibus committis, quod "*etiam ex Varietate rituum*, quibus Formulas benedicendi æquiparas, Sole meridiano clarius eluceſcit. Antiquum itaque obtines Vir M. R. uti video, in defendenda Formula Benedictionis pro ritu. Ritus enim, qua ritus (ad quos tamen Formula benedicen-"di non pertinet; *rumpantur ut ilia Codro*) ſi in particularibus Ec-

cleſiis differunt, nil obſtant Concordiæ Eccleſiaſticæ; ſed tolerari poſſunt: quoniam circa iſtos libertas verſatur Chriſtiana. Quare ego in eo facile vobiscum convenio, neque ulla rixandi libido propterea in me reperietur. Cur igitur mihi,

vehementiam affectuum meorum hic ſe impotentius prodentium iterum objicis: acſi ægre feram: quod vos Meditationibus & notis meis, per totam regionem diſſeminatis, refragemini aut obloquamini, acſi oracula eſſent pari pietatis affectu cum S. Scriptura, ſuſcipienda.

Verum: Vir M. R. qui ita nimum injurius in me es? cum tamen non ignores quod in prioribus meis Literis hæc ad Te perſcripſe-"rim verba: *Tandem poſt diuturni Silentii ſpatium, mihi, M. R. T. D. "calamo obloquentem &c. &c. Sed de ea, certior facto, NB. non parum "ad votum.* Cur igitur mihi tam injurioſum onus imponis ferendum? quod ægre feram tuam oblocutionem: qui iterum non ignoras: quod cautum voluerim: *me Tecum calamo colloqui velle, ſed nonniſi amanter, decenter, & religioſe, ſepoſito omninum partium ſtudio & ſolius divinæ gloriæ & ſanctiſſimæ veritatis Amore percitum.* Recolli-ge Te Vir M. R. a talibus injuriis! quibus me multoties affeciſti, & da locum Veritati in Chriſto. De nulla enim re magis glorior, quam de Chriſto Ejusque ſanctiſſima Veritate: quæ revera Cauſa DEI eſt, quam non tam adverſus vos ago, ſed potius vobis conſiderandam propono; ad hæc Epiſtolæ Tuæ verba.

Et vanum tibi Frater chariſſime negotium faceſſis, in extinguenda quadam diſcordiæ flamma &c.

ita reſpondens: *Quare ſi vanum mihi negotium faceſſiſſem in exſtingvenda hac diſcordiæ flamma; tunc quidem dolor non remiſſus; ſed intenſus &c. &c. vid. prior Reſp.* Hoccine eſt gloriari, me Cauſam DEI adverſus vos agere vel gerere? DEUS Ipſe Cauſam Suam adverſus vos agere & gerere poteſt: in cujus Manu Divina utique ſingularem repono fiduciam, Eique firmiter confiſus, confuſus nunquam ſum receſſurus. Brachio ſeculari DEUS utitur tanquam Miniſterio ſuo, ut hanc Controverſiam, una cum Scriptis Controverſis, extraneis Theologis expediendam committere poſſit: qui non ore gladii, ſed gladio oris iſtam decernent & decident. Et ſic orbi Literario innoteſceret: quid etiam privatim inter nos ſit diſceptatum, & a qua parte tandem Juſtitia Cauſæ ſit ſtatura. Hinc hactenus mihi non ſum conſcius:

quod

quod minis vobiſcum ſim expertus, uti M. R. T. D. ſcribit:

> Ne igitur, o Frater in Chriſto Chariſſime! Minis experire nobiſcum; ſed ea qua Tu erga nos uteris παῤῥησίᾳ Te viciſſim a nobis, privatis literis conveniri patere!

Utinam vos ita mecum experiremini, uti ego Vobiſcum experior, tunc nil neque minarum neque injuriarum inter nos intercederet; ſed omnia amanter decenter & religioſe, privatim inter nos agerentur & componerentur, cui fini ego etiam, non ambitioſe prodigus; ſed adeo parcus ſum: ut nemini Meditationes meas, una cum Notis, niſi Domino Superintendenti & Domino Conſiliario Provinciali ab Heucking communicaverim; licet a multis rogatus, ut eis communicarem: in quo mihi DEUS Sanctiſſimus & veraciſſimus Teſtis eſt, quem ſanctiſſime obteſtor: me præter hæc duo Exemplaria nemini, alii, vel γρῦ communicaſſe, niſi, quod data occaſione per diſcurſum ſuccinctum, unius aut alterius rei mentio facta ſit: ex quo tamen nondum ſeqvitur: quod ſcriptum meum a Te Vir M. R. mereatur appellari

> noviter inventa παράδοξα, de neceſſitate formali (fortaſſis ſcribere voluiſti) morali formulæ benedicendi Aaronicæ.

qua appellatione alludis ad παράδοξον Diſcordiæ ex Concordia ortæ, vobis in Meditationibus meis explicatum, adeoque Scriptum meum ναρκᾶν καὶ σαρκάζειν intendis: non rite perpendens. Quod veriſſima quæque ſæpe maxime παράδοξα ſeu ἄδοξα; & falſiſſima quæque ſæpe maxime ἔνδοξα hominibus videantur: uti ex Organ. Ariſtotel: M. Andr: Hedrion. hoc percipere poteris, ita docentis. *Id quod ſane veriſſimum eſt: cum falſiſſima ſæpe maxime ἔνδοξα, i. e. opinionibus hominum conſentanea ſint; quemadmodum e contrario, quæ veriſſima ſunt, ſæpe maxime παράδοξα, vel plane ἄδοξα, vel opinionibus hominum diſſentanea vel abſurda exiſtunt: p. m. 54.* Quare Scriptum meum pondere ſuo non privabitur; etiamſi a Te appelletur παράδοξον, ſeu Εὕρημα *nullius ponderis.* Manet enim & manebit tale Scriptum, quod vobis viam ad veram & legitimam benedicendi formulam monſtrat: quo ſi aliquis in eadem Materia, melius aliquid ederet aut edidiſſet, mihi magis placuiſſet:

quam

quam mihi meum, tanquam fœtus meus, mire (uti opinaris) placet.

Placet mihi quidem; ast in quantum DEUS Meditationes meas & calamum meum direxit, & Veritatem rei, per me, vobis patefecit; Noli igitur, Vir M. R. contemnere id, quod DEUS in & per me ingentem peccatorem operatus est, ne videaris, Te illum habere velle Adversarium. Vale interim & fave

M. R. D. Tuæ

Piltini d. 12. Jan. 1720.

ad preces Charitatis officia in Christo divinctissimo

Christophoro Sennerto
Past. Pilt.

I. N. D. I. C. A.

Gratiam & Veritatem per Pacis Authorem JESUM CHRISTUM!

Vir Maxime Reverende, Clarissime atque Eruditissime Domine Præpositе, Fautor imo PATER in CHRISTO, merito venerabilis!

SEd quo se tandem Responsio mea extenderet, si ita pergerem ad hanc Tuam Epistolam, uti cœpi, respondere? tempus non materia mihi deesset, non Epistolam; sed opus aliquod concinnare. Ita enim Tu vir M. R. prolixus & ambiguus es in hac Tua Epistola, ut multa omitti, Tibique domi servari potuissent: quoniam nullius sunt ponderis. Quid enim refert tam ambigne discurrere & monere:

me contendere: quod Benedictio DEI tam realis, quam verbalis per se & absolute sancta sit; cum tamen solus DEUS in Essentia sua per se & absolute sanctus sit.

Nonne

Nonne Tu Ipſe hic committis Fallaciam Compoſitionis, dum Benedictionem ejusque Formulam cum DEO in Eſſentia ſua per ſe & abſolute Sancto indiſtincte componis? quod mihi nunquam venit in mentem, melius in formato, quam quem Tu monere potes: Quod DEUS in eſſentia ſua ab eſſentia Benedictionis illiusque formula differant: tanquam cauſa & effectus, tanquam ſubjectum conſtituens, & ſubjectum conſtitutum: quæ diverſæ ſunt eſſentiæ, interim tamen nihilominus in ſua natura conſiderata, per ſe & abſolute bona & ſancta eſſe poſſunt, e. g. DEus in eſſentia ſua per ſe & abſolute Sanctus, creavit Adamum in ſua natura conſideratum, per ſe & abſolute ſanctum; non ut Sanctitas iſta originem ſuam, eſſentialiter a natura traxiſſet; ſed quod DEUS eſſentialiter Sanctus, Adami Naturæ per gratiam, in creatione ſanctitatem attribuerit, ut etiam in tali ſua Natura conſideratus per ſe & abſolute, i. e. quoad perfectam ſuam Sanctitatem, quæ in creaturam ad imaginem DEI creatam cadere poterat, a DEO per gratiam acceptam, ſanctus dici potuerit, quoniam ad imaginem DEI creatus erat. Ideoque etiam Adam in ſua natura conſideratus per ſe & abſolute ſanctus fuit, ratione oppoſitionis, uti tum temporis, quamdiu in ſua Sanctitate perſtitit, Diabolo non-ſancto opponi poterat. Idem judicium eſto de Benedictione tam reali quam verbali. DEUS enim eſſentialiter Sanctus, Benedictioni illiusque formulæ, non per communicationem Idiomatum, ſuam eſſentialem Sanctitatem tribuit; ſed realem per conſtitutionem Divinam: quia res eſt ſancta a DEO eſſentialiter Sancto realiter originem trahens, ex qua originatione reali, Benedictio ejusque formula ſuam eſſentiam eſt ſortita, ut res ſancta dici poſſit, & quidem ſancta per ſe & abſolute in ſua natura & proprietate conſiderata, & uti illa ritibus, ceremoniis & Adiaphoris in Literis meis opponitur. Quod tu ipſe in tua Epiſtola mecum fateris, ita ſcribens:

> Et quamquam actiones Divinæ, cauſæ principalis & miniſterialis ad unum eundemque effectum producendum concurrant eſſentialiter tamen & formaliter non ſunt eædem.

Quid igitur opus eſt, Te ipſum expectorare & in meam Theſin condeſcendere; cum Adverſarius meus eſſe velis? & Scriptum meum noviter inventa παράδοξα voces. Hæc παράδοξα, in ea ſignificatione ſumpta, uti ex Hedione allegata ſunt, ego in publi-

cum

cum non ſparſi, ita me ipſa veritas, Chriſtus Jeſus amet! quod etiam ex prima Reſponſionis meæ particula teſtatum deprehendes; attamen mihi iſta diſſeminatio horum παραδόξων per totam Regionem, non diſplicet: quoniam multorum animi (at non vobiſcum facientes:) mihi non contrariantur, neque Scripto meo; ſed veritatem rei apprehendentes mihi plane ſunt propitii. Utinam ego & vos veſtrosque animos mihi in hac ſancta veritate conciliare poſſem: tunc gloriæ Divinæ majus accederet incrementum. Nil igitur aliud Vir M. R. in tota tua Epiſtola hic obtines: quam quod non tantum videaris, Te hanc materiam non ſerio, ſed per jocum tractare, æque acſi tentamen aliquod inſtitueres: quoniam de talibus mones, quæ monitu apud me non ſunt neceſſaria; ſed quod etiam fallacia compoſitionis hic ludas, luſumque ingenii tui exerceas: quod a Te abſit! utpote cui ego primas eruditionis & literaturæ in his noſtris oris, tribuo; Tibique filialiter in Chriſto, tanquam Patri in Chriſto omnem reverentiam habeo. Deſine igitur Vir M. R. defendere diſtinctionem illam inter Benedictionem in genere, & inter formulam benedicendi a DEO Sacerdotibus V. T. demandatam, ita ſcribens:

> Aliud enim eſt ipſa Benedictio in genere; aliud vero hæc formula benedicendi a DEO Sacerdotibus V. T. demandata, illa pertinet ad legem moralem, quæ immutabilis ac perpetua & univerſalis eſt, omnesque homines obligat; hæc vero ad legem poſitivam Eccleſiaſticam, qui non perpetua & univerſalis eſt; ſed ad tempus atque certis tantum Perſonis data, adeoque mutabilis, aut etiam aliquando particularis eſt.

quoniam nullius eſt momenti. Argumentaris enim hic in abſtracto cum Domino Anonymo; ſed male defenditis concretum, nempe formulam veſtram bimembrem, & pejus contemnitis formulam trimembrem. Committis igitur etiam in ſequentibus Elenchum alieni, qui totam veſtram defenſionem magis pejorat, quam legitimat. Qualis enim hæc eſt conſequentia: *Benedictio in genere pertinet ad legem moralem, quæ &c. ſed formula benedicendi pertinet ad legem poſitivam Eccleſiaſticam &c.* Dabo inſtanriam: *Loqui in genere, eſt proprium hominis, & pertinet ad proprium Logicum in 4to modo: Quod uni, ſoli ſpeciei, & omnibus ejus individuis & ſemper ineſt; At formula loquendi*

quendi pertinet ad proprium in tertio modo, quoniam non omnibus ejus individuis; ſed tantum certis competit, ex quo ſequeretur: Quod loqui in genere non omnium hominum ſit proprium; neque formula loquendi in ſpecie proprium eſſet omnium hominum. Cujus igitur proprium eſſet; ſi non hominum? num Brutorum? Quare attendite quæſo! ad veſtras conſequentias, quæ veſtræ dici poſſunt: quoniam ex veſtra diſtinctione, de Benedictione in genere, & formula illius in ſpecie, reſultant. Attendite inquam: ulterius ad veſtras conſequentias: *Confeſſio fidei in Chriſtum, in genere eſt nota Chriſtianiſmi; ſed formula confitendi fidem in Chriſtum in ſpecie, non eſt nota Chriſtianiſmi.* Item: *Decalogus in genere pertinet ad legem moralem, imo ipſa lex eſt moralis; ſed formula Decalogi in ſpecie non pertinet ad legem moralem; ſed ad legem poſitivam Eccleſiaſticam, certis Perſonis, nempe Judæis datam.* O Bone! applica jam tuam conſequentiam de Benedictione in genere & de formula in ſpecie! tunc videbis: quo formula benedictionis pertinebit, nempe quo formula Decalogi in ſpecie pertinet, i. e. ad legem moralem. Tam enim certo, uti demonſtraveris: Formulam Decalogi in ſpecie non pertinere ad legem moralem; ſed ad legem poſitivam Eccleſiaſticam certis perſonis, nempe Judæis ſolum datam: ita etiam demonſtrabis, formulam Benedictionis in ſpecie pertinere ad legem poſitivam Eccleſiaſticam certis perſonis, nempe Judæis ſolum datam, i. e. nunquam demonſtrabis; niſi totam hanc cauſam Judæis committeres definiendam & decernendam: qui utique in veſtram condeſcenderent opinionem & ſententiam, ſtatuentes: Quod, quemadmodum neque Decalogus in genere, neque illius formula in ſpecie, ita etiam neque Benedictio in genere, neque illius formula in ſpecie Chriſtianis ſint data, adeoque ad eos non pertineant. Quid igitur Decalogus ejusque formula? quid Benedictio ejusque formula ad Chriſtianos? Nonne hæc eſt belliſſima conſequentia? ſcilicet! Nec dum agnoſcitis tamen: quod formula benedicendi ad legem moralem commode referri poſſit, uti ego eam refero; non quidem hic ejus definitionem

tanquam δηλωτικὸν τοῦ τὶ ἦν εἶναι, non pro ſolo arbitrio meo (uti ais) excogitans.

ſed pro qualitate veritatis rei, de uſu formulæ actuali loquens, in quo verbaliter juxta promulgationem Divinam, realis Benedictio prædicatur & confertur populo: quo reſpectu, maxime formula benedicendi, prædicatio & collatio Benedictionis dici poteſt; non per definitionem, ſed per rei enarrationem & ſignificationem. Ita enim Βαμβάνειν ἕξεσι, ἕως ἓ λαλεῖν δυνάμεθα. Quare definitionem Benedictionis formulæ, vide, ſi placet, in paulo antecedentibus, quæ meliore jure, quam tua, definitio, dici & eſſe poteſt.

Quod autem nervum Canonis illius Metaphyſici (quem Tu potius dialecticum vocas, non bene perpendens: quod dialectica ſit ancilla & miniſtra Metaphyſices, cui non potius, ſed poſterius hic Canon tribui debet) infringere tentas, in eo quaſi arcum tendere videris; qui tamen rumpens, te ipſum lædit. Negas enim conſequentiam a modo eſſentiæ (qualem hic non tractamus) ad modum eam prædicandi & conferendi, de quo modo hic ſermo non eſt; *Sed de modo prædicandi rem aliquam, quæ prædicatio modum eſſendi ſequi debet;* alias mirabilis iſte eſſet Canon tuus, & nunquam inter Doctos auditus, ſi ita dicere velles: *Modus eſſentiam aliquam prædicandi, & conferendi, ſequitur modum eſſentiæ.* Quis inquam: Metaphyſicorum aut Dialecticorum ita locutus eſt? Modus enim eſſentiæ & modus eſſendi longe differunt, & quidem Logice ut *Subſtantia & Qualitas*, ut *Subjectum & Adjunctum*; ita, ut modus Subſtantiæ ſeu Subjecti nobis ignotus; modus autem qualitatis ſeu adjuncti, notus eſſe queat, adeoque nullus modus prædicandi ad modum ſubſtantiæ detur. Sic etiam cum modo eſſentiæ & cum modo eſſendi comparatum eſt. Eſſentia enim alicujus rei naturalis adeo abſtruſa & imperveſtigabilis eſſe poteſt, ut impoſſibile ſit, illius modum noſcere poſſe: quo igitur modo iſta eſſentia prædicari potc erit? Tentemus hoc cum eſſentia Divina, & cum modo eſſendi in DEO! Dic mihi! Vir M. R. modum Eſſentiæ Divinæ! quod facere non poteris. Sed ego tibi dicam modum eſſendi in DEO, juxta modum prædicandi, qui ſequitur modum eſſendi in DEO. Modus itaque eſſendi in DEO ſunt attributa eſſentialia DEI, per quæ nobis non eſſentia, neque modus Eſſentiæ Divinæ oſtenditur, ut juxta illum modum, modum prædicandi eſſentiam ejus inſtituere poſſemus, minime! quoniam iſte modus captum noſtrum tranſcendit;

ſed

ſed nobis potius revelatur modus prædicandi, qui modum eſſendi in DEO ſequitur, non in eſſe, ſed in prædicari. Quapropter etiam meus Canon allegatus, (quantum ad modum eſſendi in DEO, in prædicari, applicari poteſt) maxime valet, cum ſtatuo: *Quod modus prædicandi, ſequatur modum eſſendi.* Si enim modus eſſendi in DEO taliter nobis eſt revelatus in S. Scriptura; cur non etiam modus prædicandi de DEO, in S. Scriptura nobis revelatus, ſequeretur modum illius eſſendi, non in eſſe, ſed in prædicari? ita, ut, quemadmodum modus eſſendi in DEO notificatus per ejus attributa eſſentialia, ad revelationem in S. Scripturis factam, pertinet, ita etiam modus prædicandi de DEO neceſſario ad revelationem in S. Scripturis factam, pertinere debeat.

Applica jam Vir M. R. Canonem meum ad Benedictionem ejusque formulam, tanquam rem Divinam, nobis in S. Scripturis, & quidem in lege morali revelatam; tunc non negabis conſequentiam. Hic Canon enim non tam reſpicit Eſſentiam Benedictionis, quam potius modum eſſendi: neque etiam inter nos controverſia vertitur de Eſſentia Benedictionis, ſed de modo illius eſſendi & de modo prædicandi Benedictionem. Si jam Benedictio ipſa ejusque modus eſſendi in Lege Morali nobis eſt revelatus; quidni etiam Formula Benedictionis, tanquam modus prædicandi, imo conferendi Benedictionem in Lege Morali eſſet revelata, adeoque ad Legem Moralem pertineret? *Ut enim*

> res ſunt, inquis: ita debent enunciari, i! e. vere & convenienter

quid jam verius & convenientius eſt Benedictioni, quam illius Formula? Si, ut res ſunt, enunciari debeant, tunc ſequitur: benedicendi Formulam juxta Legem Moralem debere enunciari & prædicari vere & convenienter: quoniam Benedictio ipſa res eſt ad Legem Moralem pertinens.

Viden'? quomodo propria tua arma in te ipſum convertantur, & proprius arcus tuus in me intenſus, rumpat, teque ipſum lædat: quod etiam in ſequentibus ſenties. Ita enim ſcribis:

> Si fiat hujus Canonis applicatio ad Benedictionem Eccleſiaſticam, ita ſe habebit: Uti DEUS populo ſuo benedicit, atque

propitius eſt eidem, eum illuminando & cuſtodiendo: ita Sacerdos hoc ei prædicet & conferat.

Sed hæc Tua verba non applicant Canonem meum ad Benedictionem illiusque formulam, ſed tantum explicant modum benedicendi; non autem modum prædicandi & conferendi Benedictionem demonſtrant aliter, quam uti formaliter & materialiter nobis Num. VI, 24. 25. 26. eſt præſcriptus, in iſta Formula, quam ego Benedictionem verbalem voco. Manet igitur Canon meus non tantum indiſcuſſus, ſed innuit etiam congruentiam Formulæ cum re, i. e. Benedictione, in eo, quod utraque ad Legem Moralem pertineat; *hinc maxime ad rhombum* facit. Vale & fave

M. R. D. Tuæ

Ad preces & Charitatis officia in Chriſto devinctiſſimo

Piltini, d. 15 Jan. ao. 1720.

Chriſtophoro Sennerto, Paſt. Pilt.

I. N. D. J. C. A.

Gratiam & veritatem per Pacis Authorem JESUM CHRISTUM.

Vir maxime Reverende, Clariſſime atque Eruditiſſime Domine Præpoſite Fautor, imo PATER in CHRISTO merito venerabilis!

ALterum Canonem Analyticum æque non bene applicas ad Benedictionem ejusque Formulam; ſed potius iſtum confuſe explicas. Affectio enim rei hic non ſumenda eſt, tanquam peculiare aliquod Subjectum ſecundarium ex cauſis internis eſſentiæ Subjecti primarii conſtitutivis, conſtitutum; ſed tanquam

quam Adjunctum Subjecti, uti omnia Entia ſuas habent affectiones, veluti ex Metaphyſicis notum eſt, nempe unum, verum, bonum. Quare etiam peregrina eſt loquendi Formula, cum dicis:

Agitur ibi de demonſtratione affectionis per cauſas internas eſſentiæ ſubjecti conſtitutivas

Cujus enim cauſæ internæ conſtitutivæ ſunt? num Eſſentiæ Subjecti, an Affectionis Subjecti? Eſſentiæ Subjecti, nullæ cauſæ internæ conſtitutivæ tribui poſſint, quoniam Eſſentia ſui ipſius alias eſſet cauſa; quod non niſi de DEO dici poteſt: utpote qui internas cauſas ſui ipſius conſtitutivas habet; Sed in aliis rebus Divinis ſeu operibus ad extra, tales internæ cauſæ Eſſentiæ Subjecti conſtitutivæ non reperiuntur: quoniam DEUS tanquam cauſa cauſarum ſeu prima cauſa, tales Eſſentias Subjecti, per cauſas ſecundas conſtituit: quæ cauſæ ſecundæ equidem, cauſæ internæ Eſſentiæ Subjecti, non conſtitutivæ; ſed conſtitutæ dici poſſunt: quoniam vi iſtarum cauſaram, Eſſentia Subjecti eſt conſtituta. Hinc etiam Affectio Eſſentiæ Subjecti per cauſas iſtas internas conſtitutas demonſtratur: cum illa ex Eſſentia Subjecti immediate fluit, i. e. ejusdem cum Eſſentia Subjecti eſt Naturæ, proprietatis & Legis, illiusque adæquatum & immediatum Adjunctum, nullum inter ſe tertium, ſeu aliud quoddam medium agnoſcens, ideoque per ipſam Eſſentiam, tanquam per cauſam ſuam demonſtratur. Quod etiam Author iſte, M. Hedio in Analytica ſua ita innuit, ſcribens: *Affectio demonſtranda immediate ex Eſſentia Subjecti fluit, ut nonniſi per ipſam Eſſentiam tanquam cauſam demonſtretur: qualis affectio eſt: aptitudo addiſcendum, quæ de homine demonſtratur per rationem, quæ cauſa hujus affectionis interna, & ipſa hominis eſſentia eſt, ex qua affectio hæc immediate fluit & demonſtrarur p. m.* 606. Pariter etiam cum Eſſentia Benedictionis, tanquam Subjecti & cum illius Formula, tanquam Affectione Benedictionis comparatum eſt. Eſſentiæ Benedictionis enim cauſa interna eſt: gratioſa DEI Inſtitutio Benedictionis realis ſub Lege Morali contenta, pro obtinenda cuſtodia Divina, omnigena gratia, Pace ac tranquillitate animæ: quæ cauſa interna non eſt conſtitutiva; ſed conſtituta a DEO: quoniam vi iſtius cauſæ internæ, nempe gratioſæ Inſtitutionis, Eſſentia Subjecti, ſeu Benedictionis eſt conſtituta. Hinc etiam Affectio Benedictionis nempe

Formula Num. VI, 24. 25. 26. contenta, in ſuo uſu conſiderata & Sacerdotibus demandata, per cauſam ſuam internam conſtitutam demonſtratur, cum illa ex Eſſentia Subjecti immediate fluat id eſt ejusdem cum Eſſentia Subjecti ſit Naturæ, proprietatis atque Legis, illiusque adæquatum & immediatum Adjunctum, nullum inter ſe tertium, ſeu aliud quoddam medium (nempe libertatem Chriſtianam pro ſui immutatione, ſive Legem Ceremonialem nobis ignotam) agnoſcens, adeoque per ipſam Eſſentiam, tanqvam per cauſam ſuam demonſtretur: qvod ad Legem Moralem pertineat.

En! hic habes veram Canoni iſtius Analytici explicationem! cui qvæſo! acqvieſcas, nec amplius tuam explicationem urgeas:

Quod nimirum Formula iſta benedicendi non ſit Affectio immediate fluens e Benedictione, tanquam Eſſentia Subjecti ſui; ſed externum ſaltem ſignum, Eſſentiæ illius voti ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ.

Nam ſi iſta Formula non eſſet Affectio immediate fluens e Benedictione, tanquam ex Eſſentia Subjecti; ſed externum ſaltem ſignum &c. Unde igitur fluit, ſive mediate ſive immediate? quoniam ex ſe ipſa non exiſtit; ſed Eſſentiam ſui Subjecti, ex qua fluat, habere debet. Hæc Eſſentia Subjecti Formulæ benedicendi vobis eſt, Eſſentia ſcil. Sacerdotis & Eccleſiæ, in conceptu verborum ſuorum conſiſtens; non autem Benedictio ipſa, tam realis quam verbalis, a DEO in Lege Morali inſtituta. Ideoque Sacerdos & Eccleſia ſunt cauſæ internæ Benedictionis, illiusque formulæ conſtitutivæ? cum tamen ſint cauſæ externæ conſtitutæ, nempe Sacerdos Cauſa Inſtrumentalis adminiſtrans, & Eccleſia cauſa finalis ſuſcipiens, cujus gratia Benedictio eſt inſtituta, & cui finis cujus intenditur. Unde etiam ex tua hypotheſi ſequeretur: quod votum ſcil. Sacerdotis & Eccleſiæ eſſet cauſa interna Benedictionis, nempe materialis & formalis: quod quam abſurdum ſit, Tu ipſe non ſine horrore deprehendes, ſi penes hoc conſideraveris: quod Sacerdos & Eccleſia tales ſint cauſæ, quæ nihil poſſunt dare Effecto, quod ipſæ non habent formaliter & eminenter, uti Canon iſte Metaphyſicus innuit: ita ſonans: *Cauſa nil poteſt dare Effecto*, quod ipſa non habet formaliter & eminenter.

Quare

Quare: nolite obſecro! DEUM excludere a formula Benedictionis, tanquam Cauſam illius Conſtitutivam, ita, ut *Eſſentiæ illius voti ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ*, id velitis adſcribere, quod ſoli DEO tribuendum eſt. Quid enim aliud cum Veſtro ſigno externo (uti vos formulam benedicendi inique vocatis) Eſſentiæ illius voti, ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ teſtatum facitis? Inquite mihi! utrum formula benedicendi magis ab Eſſentia voti illius ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ; an ab Eſſentia Benedictionis (cujus DEUS Ipſe per Inſtitutionem & conſtitutionem utriusque, & per expreſſam Legem Moralem, Author & Conſummator eſt,) dependeat? Quid igitur confunditis Eſſentiam Voti ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ, cum Benedictione ipſa, illiusque formula? Nonne Benedictio per ſe, & formula benedicendi per ſe, aliud quid ſunt, quam Eſſentia voti ſcil. Sacerdotis & Eccleſiæ? Benedictio enim illiusque Formula, uti abſolute dependent a DEI Inſtitutione, Conſtitutione & Mandato. Ita etiam Confirmatio & obſignatio, imo impletio Benedictionis verbalis, i. e. Formulæ, dependet a gratioſa DEI voluntate & abſoluta poteſtate; ſed Eſſentia voti ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ dependet a pio Sacerdotis & Eccleſiæ affectu, quo exoptatur: ut DEUS Benedictionem verbalem i. e. formulam benedicendi, ad obtinendam realem Benedictionem ſinat eſſe efficacem. Tales pluresque alii Soloeciſmi fluunt ex tua Definitione, qua formulam benedicendi confundis, ita, ut Tibi modo ſit, *conceptus Verborum quo Paſtor & Eccleſia preces atque vota ſua Unanimiter atque rite conjungunt*; pro obtinenda *omnigena DEI gratia, &c. modo ſignum ſaltem externum Eſſentiæ voti illius ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ: modo Accidentale quid*; non rite perpendens: *quod Signum ſit: quod ſe ipſum, & præter ſe aliud quippiam i. e. ſuum ſignatum animo repræſentet*, ex quo conſequitur, Si formula benedicendi debet eſſe *ſignum ſaltem externum eſſentiæ voti &c.*; tunc præter ſe aliud quippiam animo non repræſentat, quam ſuum ſignatum i. e. eſſentiam voti illius, ſc. &c. Ubi igitur manet repræſentatio DEI, tanquam Authoris Inſtitutoris & Conſummatoris, imo Promulgatoris Formulæ benedicendi? Ubi manet repræſentatio eſſentiæ Benedictionis, cujus Affectio eſt Formula a DEO promulgata? cum tamen DEUS & ipſa Benedictio in pronunciatione formulæ benedicendi, expreſſe

repræ-

repræſententur; non autem Eſſentia voti illius, ſc. Sacerdotis & Eccleſiæ. Quidni igitur Formula Benedictionis, ipſi Benedictioni Morali eſſet ἰσιώθης? cum ſit illius Affectio (ut demonſtratum eſt) non accidentalis; ſed eſſentialis. Dantur enim & accidentium affectiones; quæ tamen hic non obtinent: quoniam accidentium non datur accidens; alias daretur progreſſus in infinitum. Accidens enim præter Eſſentiam Subjecti accedit, & aliquid poſitivi ſuperaddit Subjecto: quod de formula benedicendi Num. VI. 24. 25. 26. a DEO promulgata dici non poteſt: quoniam non præter Eſſentiam Benedictionis accedit; ſed eſt aliquid Eſſentiæ, attributum nimirum maxime quidditativum, inſequens rem exiſtentem & conſtitutam. Quare ſicut modus eſſendi Eſſentiæ in aliis rebus eſt: *veritas*, *Bonitas*, adeo ut etiam modus prædicandi nonniſi verus & bonus eſſe queat, quia modum eſſendi ſequitur: ita quoque modus eſſendi Eſſentiæ Benedictionis eſt *Veritas*, *Bonitas*, imo *Unitas*, adeo ut etiam formula Benedictionis tanquam Affectio illius, imo modus prædicandi nonniſi, verus, bonus, imo unus eſſe poſſit, quia modum eſſendi ſequitur:

Differant igitur Eſſentia & accidens toto, (uti ſcribis) genere imo, (quod ego addo) tam late ut Cœlum a Terra; nihilominus tamen demonſtrabis aut obtinebis, quod intentas. Vanum tibi cum aliis faceſſis negotium Vir M. R. quoniam contra ſtimulum calcitratis. Quapropter etiam ſpero: te non denegaturum, remiſſam tibi a me illicitam Tuam

Concluſionem ab Eſſe ſimpliciter ad Eſſe tale

rurſus acceptare, quia hic nihil ad rhombum; niſi ut adverſum te convertatur.

Inſtituis enim Comparationem Eſſentiæ Benedictionis in lege morali contentæ, ejusquæ Formulæ, cum Eſſentia actionis in lege, (procul dubio) Civili, uti contextus innuit, ſæpiſſime expreſſa ita ſcribens:

> exprimitur ſæpiſſime in lege, Eſſentia actionis, ſeu, quid agendum ſit; cum tamen modus agendi accidentalis non determinetur; ſed Arbitrio prudentis Miniſtri aut Subditi committatur.

Verum

Verum hæc Comparatio Tua plumbeis qvaſi incedit pedibus, ita, ut ei non liceat bene procedere. Qvid enim Te urget hanc inſtituere Comparationem? Nonne Tibi occurrunt Exempla S. Scripturæ, qvibus comparatio Tua, ſi non confirmari; tamen invalida reddi potuerit, ut non aliter procedat; niſi adverſum Te. Jerobeam Rex Iſraël hoc confirmabit. Huic enim DEUS in Lege Regia Eſſentiam actionis: ſeu qvid agendum erat, qvidem expreſſerat: qua actione ille ſuper populum Iſraël regnare deberet, ita ad eum loqvendo: *Te autem aſſumam, & regnabis in omnibus, quæ deſiderabit anima tua, eritque Rex ſuper Iſraëlem. Erit præterea, ſi audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris, quod rectum eſt in oculis meis, cuſtodiendo decreta mea, & præcepta mea, ſicut fecit David, Servus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum firmam, ſicut ædificavi Davidi, & dabo tibi Iſraëlem 1 Reg. II, 37. 38.* Cum tamen modus agendi non determinetur. Ergone DEUS arbitrio Jerobeami hoc commiſit? minime! Sed Jerobeam ad Legem & Teſtimonia alligatus erat *Eſ. VIII, 20.* ad quæ DEUS eum adſtrinxerat inqvens: *Et feceris, quod rectum eſt in oculis meis, cuſtiendo præcepta mea & decreta mea.* Qvoniam autem Jerobeam pro arbitrio regnare voluit, i. e. per modum agendi accidentalem; tunc animadvertamus: qvid Jerobeam per arbitrium iſtud effecerit? Hoc Tibi jam ultro notum, ex ſeqventibus notius fiet: *Dixit autem Jerobeam in corde ſuo: Nunc revertetur Regnum ad Domum Davidis, ſi aſcenderit populus iſte ad faciendum ſacrificia in Domo Jehovæ in Jeruſalem, convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum Rehabeam Regem Jehudah. Conſilio itaque inito Rex fecit duos vitulos aureos, dixitque ad eos: Sufficiat vobis hactenus aſcendiſſe in Jeruſalem! ecce Dii Tui! ô Iſraël! qui eduxerunt te e terra Ægypti. 1 Reg. XII, 26. 27. 28.* Videsne jam Effectum arbitrii, in modo agendi accidentali? qvo Jerobeam juxta Eſſentiam actionis, Regiminis ſcil. ſuper Iſraëlem, in Lege expreſſam, & juxta modum agendi accidentalem non determinatum regnare volebat. Nonne Jerobeam per arbitrium ſuum, DEUM ejusque præcepta abnegavit? Nonne alios Non-Deos conſtituit? Nonne populum Iſraël ſeduxit? Nonne arbitrium ſuum loco DEI & Legis habuit? Proh! ego totus exhorreſco: arbitrium in modo agendi accidentali non determinato ulterius inquirere & examinare; cum ſciam:

quod tale arbitrium ne quidem in Actionibus Civilibus ſemper locum habeat; ſed ab ipſa Eſſentia actionis reſpuatur. Quomodo igitur hæc Comparatio ad Formulam Benedictionis quadret, videamus. Nam Tu Vir M. R. Eſſentiam actionis in Lege expreſſam comparas, cum Eſſentia Benedictionis in Lege Morali contenta; modum autem agendi accidentalem non determinatum, & in arbitrio prudentis Miniſtri aut Subditi commiſſum, comparas cum Formula Benedictionis; innuens: quod iſta Formula arbitrio Sacerdotis & Eccleſiæ ſit commiſſa, ita, ut non juxta Legem Moralem, in qua tamen Eſſentia Benedictionis continetur; ſed pro arbitrio, juxta Legem poſitivam, ex S. Scriptura nunqvam demonſtrabilem, & qvidem juxta conceptum verborum qvaliumcunqve, pronunciari poſſit & debeat. Ah! ego vereor: ne arbitrium iſtud veſtrum, vobis coram DEO & anima veſtra, multum ſit nocivum! Quid enim opus eſt? cum fallibili arbitrio id facere aut decernere, qvod DEUS per expreſſam Legem ſuam Divinam, ſuamqve promulgationem facere juſſit & decrevit. *Non igitur licet concludere ab Eſſe ſimpliciter ad Eſſe tale!* Nam qvod DEUS ipſe ſimpliciter inſtituit, conſtituit, promulgavit & mandavit, ut ſimpliciter ita fiat: neqve per Legem aliqvam poſitivam limitavit, *ab eo, tanquam Eſſe ſimpliciter, non licet concludere ad arbitrium faciendi, tanqunm ad Eſſe tale.* Vale interim & fave

M. R. T. D.

ad quævis Charitatis officia in
Chriſto devinctiſſimo

Piltini d. 17. Jan.
Ao. 1720.

Chriſtophoro Sennerto,
Paſt. Pilt.

I. N.

I. N. D. J. C. A.

Gratiam & Veritatem per Pacis Authorem JESUM CHRISTUM!

Vir Maxime Reverende, Clariſſime atque Doctiſſime Domine Præpoſite Fautor, imo PATER in Chriſto, merito venerabilis!

QVod tandem ad Tuam Diſquiſitionem attinet, qva diſqviris non tantum fundamentum ſeu medium Terminum, ſed etiam connexionem iſtius cum Subjecto & Prædicato, qva nititur Sententia mea de Formula benedicendi Aaronica, qvod ſub Lege ſit Morali, non ad mores hominum, ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante: in ea Tibi ero in Subſidium, ne opus habeas, iſta in infinitum diſqvirere, & Te macerare; ſed potius Fundamento meo acquieſcere; Verum hac lege: ut mihi non ſit prohibitum, me a Te in eo diſtinguere: qvod non reſpiciam ad id, qvod Tu Vir M. R. aliter intelligere non potueris (forſan nolueris); ſed potius ad id, qvod intelligere potuiſſes. Magna enim eſt difficultas aliqvid intelligere velle, qvod intelligi haud poteſt; ſed major difficultas eſt: aliqvid nolle intelligere, qvod intelligi poteſt. Ita enim Tu ſcribis:

> Id aliter intelligere non potui: qvam qvod non tantum Eccleſiam, ſed etiam ipſum DEUM Legi cuidam Morali, præter illam Legem Moralem, in Decalogo repetitam & hominibus præſcripttam ſubjicis.

Sed ego ſane miror; qvod non recorderis vulgaris Proverbii: *Bis cocta crambe mors eſt.* Iſtam enim Diſqviſitionem in priori Tua Epiſtola, multo prolixius inſtituiſti, qvam in poſteriori, explicationem tuam vocas, ita ſcribens:

> Sed fortaſſe ſecundum meam explicationem, qvam ſicco pede præteris, per mores DEI & Legem in DEO Moralem tibi ſic dictam, intelligis, attributa DEI eſſentialia, qvæ ſint quaſi Leges DEO naturales &c.

At fortaſſe putas: Te in hoc argumento Herculis Clavam reperiſſe, qva omnia mea argumenta de Benedictione Morali ejusque Formula, contundere & conterere poſſis, minime hoc facturus es! Rem itaque ipſam aggredior: provocando ad §. 10. Meditat. mea-"rum Theol. qvi ſe ita habet: *Itaque benedicendi Formula ſub Lege eſt, "non (uti quidam opinantur) Ceremoniali, ſed Morali; non ad mores homi-"num, ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante.* Hæc eſt mea Theſis, qvam Tu Vir M. R. bis impugnas; ſed ne ſemel quidem oppugnabis & expugnabis. Qvis enim mihi obicem ponere poteſt; ne de Formula benedicendi *in gradu perfecto loquar, eamque non tantum ad perfectionem moralem, ſed etiam ad perfectionem Spiritualem, imo ad primam perfectionem, i. e. ad DEUM ipſum referam, qui eſt menſura omnis perfectionis.* Sicut enim DEUS eſt prima Eſſentia, Unitatis, Veritatis & Bonitatis: Ita etiam eſt prima perfectio & norma omnis perfectionis. Si jam hæc mea Theſis Tibi adeo eſt contraria, & ſi putas: Formulam benedicendi eo referri haud poſſe: argue qvæſo! fundamentaliter eam alicujus, vel minimæ imperfectionis, ſi potes! ſed non poteris! DEUS enim tanqvam prima perfectio Author eſt hujus Formulæ benedicendi, etiam Conſummator illius, qvid igitur deſideras in DEO, quod non ſit perfectum? qvid deſideras a DEO inſtitutum, conſtitutum & promulgatum, qvod non ſit in ſuo genere & in ſua natura & proprietate perfectum? Quapropter id, quod Tu aliter intelligere non potuiſti, valde erroneum eſt: quoniam *ego neque Eccleſiam neque ipſum DEUM Legi cuidam Morali, ſtricte ſic dictæ, præter illam moralem in Decalogo repetitam & præſcriptam ſubjeci*, quod de DEO ſtatuere, maximum eſſet ἄδοξον; qua in re tamen M. R. T. D. mecum convenit, in priori Epiſtola ita ſcribens:

> Ita DEUS, tanquam Summus rerum arbiter ἀνυπεύθυνος nullius Legis vinculo ligatus eſt, propter ſummam & abſolutam ſuam libertatem - - & porro: ita voluntas ejus liberrima nulla conſtringitur Lege, proprie ſic dicta.

Cur igitur iſtud intelligere non potuiſti? quod mecum pariter ſtatuis. Ita Tu quidem Vir M. R. Theſin meam intelligere non potuiſti; ſed num intelligere potuiſti explicationem meæ Theſis, inſtitutam per comparationem cum Lege Morali hominibus data §. 10. *Meditat. Theol.* Quid ad hanc Explicationem reſpondes? Nihil!

Si

Si eam enim penitius inſpexiſſes & conſideraſſes: tunc eo facilius mores DEI & Eccleſiæ intelligere potuiſſes; neque adhuc ſcire cuperes:

quid hoc ſit dicere: Mores DEI & Lex Moralis, ipſum DEUM obligans, ſecundum quam DEUS ſe in Eccleſia & erga eam gerit.

Sufficit: me diſtinxiſſe Mores DEI & Eccleſiæ a moribus hominum, ex qua diſtinctione autem altera diſtinctio fluit, inter Legem Moralem ad Mores DEI & Eccleſiæ, & inter Legem Moralem ad homines ſpectantem. Ad primum demonſtrandum: ſedulo mihi inquirendum erit: num in S. Scriptura DEO & Eccleſiæ, mores quidam, i. e. actiones virtutum effectivarum tribuantur? Ad DEUM quod attinet clariſſime hoc ex S. Scriptura demonſtrari poteſt. Et quidem (*Primo*) *Via negationis:* qua removemus a DEO omnem imperfectionem, ita, ut ipſum non æſtimemus ſecundum aliquid eorum, quæ in Creaturis invenimus. Hac via Bileam de moribus DEI teſtatur, inquiens: *Non eſt homo DEUS, ut mentiatur, & filius hominis, ut pœniteat eum. Num. XXIII, 19.* Et David teſtatur inquiens: *Quia non DEUS volens iniquitatem es. Non habitabit juxta Te malus - - - odiſti omnes operantes iniquitatem - - - Sanguinolentum & fraudulentum abominatur Jehovah. Pſ. V. 5. 6. 7.* Imo DEUS ipſe inquit: *Non enim Cogitationes meæ Cogitationes veſtræ, nec via veſtræ, meæ dixit Jehovah. Eſ. LV, 8.* Conf. 1 *Sam. XV, 32. Oſ. VI, 6. Matth. IX, 13. 1 Sam. XVI, 7.* & paſſim alibi.

(*Secundo*) *Via abſolutæ poſitionis:* quo omnia DEI attributa Eſſentialia, in operibus ad extra conſiderata, referri poſſunt: quæ morum Divinorum i. e. actionum virtutum effectivarum nomine veniunt. Quid enim ejusmodi mores aliud ſunt? quam attributa & proprietates quædam effectivæ, aut a Natura, aut ab Aſſuetudine, Subjecto cuidam quaſi ingenitæ? Quod poſterius Ethici affirmantes, de morum generatione ab Aſſuetudine ita docent: *Aſſuetudo eſt actionum repetitio, qua mores gignuntur.* Tametſi jam poſterius hoc, de DEO dici nequeat; ſed tantummodo de homine: quoniam in DEO, non Aſſuetudo; ſed Natura ejus Divina & Eſſentia, omne Actionum Divinarum fert punctum; tamen hoc ex eo conſequitur:

quod, ubi dantur Actiones, ibidem etiam dentur mores. Atqui in DEO dantur Actiones, nempe: Juſtitiæ, Miſericordiæ, Bonitatis, Beneficentiæ, Sapientiæ, Potentiæ, Providentiæ &c. Ergo etiam in DEO dantur mores. Hoc ex innumeris S. Scripturæ locis & teſtimoniis confirmari poteſt. Quid enim hoc ſibi vult, quod DEUS ipſe inquit: *Ego Jehovah DEUS tuus, DEUS Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem, odio habentibus me; Et faciens miſericordiam, millibus diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea Exod. XX, 5. 6.* Conf. *Exod. XXXII, 33. 34. XXXIV, 6. 7. Levit. XXVI, 3. & ſqq. usque 17. Deut. XXEIII. Pſ. LXXXIX, 33. 34. 35. 36. Pſ. CIII, 8. usque 13. Oſ. V, 15. II, 8. 9. Joh. V, 17.* Plura loca & Teſtimonia adducere non opus eſſe puto; quoniam Tibi ipſi adhuc multa occurrent.

(*Tertio*) *Via relativæ poſitionis*, qua DEUS omnium bonorum morum, i. e. virtutum cauſa prima eſt. *Omnis enim Donatio bona, & omne donum perfectum ſuperne eſt deſcendens a Patre Luminum. Jac. I, 15.* Quicquid jam in moribus humanis perfectionis eſt in Effectu, id oportet neceſſario inveniri & præexiſtere in prima Cauſa Efficiente, nempe DEO; ſi non formaliter ſive ὑπαρκτικῶς, quod in Relatione ad homines in DEO non eſt; tamen eminenter ſive ἐνεργητικῶς & nobiliori modo: quoniam nulla eſt perfectio in rebus humanis, cujus Idea ſeu ratio perfectiſſima non ſit in DEO. Ergo in DEO dantur mores ſupereminenter. Hoc unico tantum S. Scripturæ Teſtimonio, quod inſtar omnium ſit, confirmabo. Ita enim Chriſtus inquit: *Si vos igitur, qui mali eſtis, noſtis dona bona dare liberis veſtris; quanto magis Pater veſter, qui eſt in cœlis. Matth. VII, 11.* Ut itaque etiam ex hac via relativæ poſitionis ſatis demonſtratum ſit: quod in DEO dentur mores i. e. actiones virtutum effectivæ, quæ juxta illius Eſſentiam & voluntatem, (in quibus ſibi ipſi quaſi eſt Lex Moralis:) in Eccleſia & erga eam geruntur: Quapropter etiam Lex Moralis hominibus data relationem ſuam habet ad DEUM ipſum, qui ſibi ipſi eſt Lex Moralis. Quod non tantum *Rudrauffius in l. c.*; ſed etiam omnes ſani Theologi in ſano ſenſu ſtatuunt & admittunt: id, quod Tu quoque facis, ita ſcribens:

quod hactenus in ſano ſenſu admitti poteſt.

Cur

Cur igitur non etiam in Scripto meo ? Quod ego tanquam ſanus Theologus elaboravi ; (niſi forte vobis inſanire videar , uti Paulus videbatur Feſto *Act. 26.* 24.) cum tamen nonnulli Theologi ſani ex Antiquitate puriore Legem Moralem a DEO Hominibus datam in relatione ad DEUM ita definiant : *Lex Moralis nihil aliud eſt : quam æterna & immutabilis Regula ac Menſura Juſtitiæ Divinæ. Bald. Diſp. de Art. Smalc. de Lege & Evangelio*, §. *46.* Imo eſt *Regula Juſtitiæ in DEO : cujus Voluntas eſt Lex Archetypa*, uti Author aliquis haud contemnendus ſcribit : Quare ego Te Vir M. R. obnixe rogo : imo obſecro ! Judica ſincere : utrum jam de DEO ἀνθρωποπαθῶς καὶ ἐυπρεπῶς, prævia S. Scriptura , vel duce Antiquitate puriore locutus ſim , an non ? dum DEO mores & Legem Moralem adſcripſerim : & an ἐπίλυσίς mea pro abſurdo haberi queat , quod ſtatuam ; DEUM Sibi Ipſi eſſe legem Moralem , juxta quam ſe in Eccleſia & erga Eam gerit , quæ mea , non Rudrauffii eſt ἐπίλυσις , & quam ego firmiſſimis argumentis defendere valeo. Ideo etiam conſequentiæ tuæ, quas ita ſcribendo nectis , corruunt :

> Duplex igitur juxta ſententiam tuam erit Lex Moralis , una , quam DEUS ſibi & Eccleſiæ ſtatuit : altera quam hominum mentibus indidit , &c. Ergone DEO & Eccleſiæ communes mores communis Lex Moralis ? qua DEUS & Eccleſia tenetur , Homines autem minime ; dicis enim illam ſpectare mores non Hominum , ſed DEI & Eccleſiæ , cum tamen Eccleſia ex hominibus conſtet. Quid obſcurius : quid intricatius dici poteſt ?

Corruunt inquam iſtæ Conſequentiæ tuæ , cum Tibi iſtud conſiderandum propono : quod male confundas DEUM & Eccleſiam , ratione hujus Legis Moralis. Lex enim iſta Moralis , quæ DEUS ſibi eſt , conſideratur hic ſecundum illius Eſſentiam & Voluntatem ; Quid autem Eccleſia cum Eſſentia & voluntate DEI , (uti iſta Voluntas intra ſimpliciſſimam DEI Eſſentiam vertitur , loquinte ſic : *D. Bald. Diſp. de DEO* §. *60.* (habet commune ? ut etiam communes cum DEO habeat mores , & communem cum DEO legem Moralem ? Inconſequentes ſunt Conſequentiæ , ideoque Non-Entis nullæ ſunt Affectiones. Eccleſia enim hic conſideranda venit , non *Materialiter* , uti conſtat ex Hominibus ; ſed *Inſtrumentaliter* ,

pro

pro Ordine Miniſterii, ædificantis Eccleſiam. Hæc Eccleſia Inſtrumentalis peculiarem habet Legem Moralem ratione Benedictionis, illiusque Formulæ, quam Eccleſia Materialis: quoniam iſta Lex diſtinguit *Subjecta agentia, a Subjectis patientibus.* Illa Eccleſia habet Legem Moralem ad agendum; hæc vero habet Legem Moralem ad patiendum, impellentem: Hinc etiam mores Eccleſiæ Inſtrumentalis i. e. ordinis Miniſterii ſunt diſtincti a moribus Eccleſiæ Materialis, i. e. cæterorum Hominum, ita ut Ordo Miniſterii (poſt Summum Regimen, quod DEUS & Chriſtus gerit, in Eccleſia juxta ſuam Legem Moralem, i. e. Eſſentiam & voluntatem) ſubordinatum Regimen gerat in Eccleſiæ gubernatione, qua ille regit homines; homines autem ei parere debent. *vid. Botſacc. Moral. Ged. pag. m. 325. 326.*

Quicquid jam injunctum & demandatum eſt Ordini Miniſterii, id ad peculiarem Legem Moralem Subjectorum pertinet. Atqui Benedicere ordini miniſterii &c. Ergo Benedicere &c. Jamne Vir M. R. intelligis atque deprehendis Mores Eccleſiæ Inſtrumentalis, ejusque Legem Moralem, quam Ego Eccleſiæ tribui in Scripto meo? Sunt ne tibi iſta adhuc abſurda & Atheologica? Hoc nunquam mihi perſvadere poſſum; quoniam ſpero: Te contra ſcientiam conſcientiamque tuam, imo Veritatem rei Controverſæ, ne quicqnam moliturum.

Ad connexionem medii Termini cum Subjecto & Prædicato in argumento meo! quam

nondum ex priori Epiſtola mea vides ſed ingentem hiatum invenis,

brevibus me expediam: quoniam in prioribus Literis meis & in antecedaneis hujus Reſponſionis meæ particulis, tam implicite quam explicite Medii iſtius Termini connexio ſatis ſuperque tibi eſt oſtenſa, dummodo eam videre & intelligere voluiſſes. Hinc cordicitus exopto: Aperiat Tibi DEUS oculos ut videas! & intellectum: ut intelligas Connexionem Medii Termini cum Subjecto & Prædicato: quoniam in eo magnum videris habere ſcrupulum. Concluſio itaque hæc eſto in argumento meo:

Ergo Formula Benedictionis Num. VI, 24. 25. 26. eſt ſub Lege Morali non ad mores hominum, ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante.

Ita

Ita enim mei argumenti jacet Concluſio; non autem, uti M. R. T. eam format ſcribens:

Ergo Formula benedicendi Num. VI. pertinet ad Legem Moralem (illam ſcil. DEO Eſſentialem, quæ DEUS Ipſe eſt, & quæ non ſpectat ad mores hominum, ſed DEI & Eccleſiæ.

Ideo etiam non ad tuam formatam; ſed ad meam veram Concluſionem oſtendam Connexionem Medii Termini cum Subjecto & Prædicato. Cape igitur medium Terminum:

Quoniam iſta Formula a DEO ſecundum Legem ſuam Moralem i. e. Eſſentiam & Voluntatem eſt ſancita, inſtituta, promulgata, & adhiberi juſſa, imo juxta mores i. e. attributa & proprietates ſuas divinas confirmari, actioneque effectiva realis Benedictionis obſignari gratioſe promiſſa: adeoque Ordini Sacerdotum, tanquam Eccleſiæ Inſtrumentali, eorumque moribus, i. e. actionibus Virtutis obedientiæ effectivis commiſſa & demandata: ut ſuper populum pronuncietur & prædicetur.

Ex quo medio Termino ego hunc Syllogiſmum formo:

Quicquid a DEO ſecundum Legem ſuam Moralem i. e. Eſſentiam & Voluntatem eſt ſancitum, inſtitutum, promulgatum & adhiberi juſſum: imo juxta mores ſuos i. e. attributa & proprietates Divinas confirmari, actioneque effectiva realis Benedictionis obſignari gratioſe promiſſum: adeoque Ordini Sacerdotum, tanquam Eccleſiæ Inſtrumentali, eorumque moribus i. e. actionibus Virtutis obedientiæ effectivis commiſſum & demandatum, ut ſuper populum pronuncietur & prædicetur: id, qua tale, ſub Lege Morali, non ad mores Hominum; ſed DEI & Eccleſiæ ſpectante eſt, & ab ea dependet.

Atqui Formula benedicendi Num. VI, 24. 25. 26. a DEO ſecundum &c. &c.

Ergo Formula benedicendi Num. VI, - - qua talis ſub Lege Morali &c.

Nunc indubitato credo: Vir M. R. Te apertis oculis Connexionem Medii Termini cum Subjecto & Prædicato ita clare viſurum, ut etiam totus ſcrupulus tibi exiſtimatur, ingensque hiatus in animo

tuo inveniatur; tanto major: ſi addidero ea, quæ ad tua Verba mihi adhuc reſtant reſpondenda, cum ſcribis:

> Prætendis: Te hac Similitudine eum in finem uſum eſſe: ut Formulam Benedictionis trimembrem, & per conſequens totum Miniſterium Curlandicum indiſſolubiliter ad DEUM, Ejusque Voluntatem reſtringeres.

Fateor hoc! ſed num propterea Similitudo hæc male uſurpata? num finis iſte præfixus, & num iſtud Propoſitum eſt culpandum? Tu quidam Vir M. R. adhæc nihil regeris: niſi quod mireris, me è ſimilitudine & Allegoria duxiſſe argumentum Apodicticum; quam admirationem ex verbis tuis colligo, dum ſcribis:

> Sed quis unquam a Similitudine vel Allegoria duxit Argumentum Apodicticum?

O Vir M. R! itane Scriptura cum ſuis Argumentis Apodicticis Tibi eſt peregrina? ut neſcias: Quod e Similitudinibus & Allegoriis variis, multa ducantur argumenta apodictica. Conſidera qvæſo! Similitudinem & Allegoriam illam, qua *Jothan uſus eſt in demonſtratione: quod Viri in Sichem male egerint: Abimelechum in Regem eligendo, Jud. 9. 8. usque 18.* Nonne hoc Argumentum erat Apodicticum? Conſidera Similitudinem & Allegoriam, *qua Nathan erga Davidem uſus eſt, in demonſtratione: quod male egerit cum Uria. 2. Sam. 12. 2. usque 9.* Confer *Pſ. 58, 4. 5. 6. Pſ. 80, 9. & ſeqq. Eſ. 5, 1. usque 6. Eſ. 53, 2. usque 7.* & in numeros alios locos Libb. V. T. Conſidera Similitudines & Allegorias, quibus Chriſtus uſus eſt de ſe ipſo, de Regno Cœlorum & de aliis rebus, quas brevitatis Cauſa allegare nolo. Nonne ſunt argumenta Apodictica? Quidni igitur etiam hæc ſimilitudo & Allegoria, a Lege ſumta Morali, & ad DEUM Ipſum myſtice & ſpiritualiter applicata, maxime argumentum eſſet Apodicticum: quod nullius Magiſterii eget? cum etiam "in Dialecticis Similitudines faciant, (1) *ad Univerſale aliquod ex mul-*"*tis ſimilibus particularibus colligendum, (2) ad colligendas rerum Definitio-*"*nes. Si enim duæ res poſitæ fuerint, quæ forte ad unum referendæ ſunt* "*genus, quodnam genus illud ſit, non difficulter inveſtigabitur: Si Similitudi-*"*nes inter duas res ſpectentur: ex quibus ea, quæ, quid res iſtæ ſint, ma-*"*xime ſignificat, genus erit, vid. Hed. Dialect. p. m. 147. 148.* Ex quo jam tanto melius judicare poteris: utrum Ego Senſum Myſticum

ad

mentem meam explicaverim, & probaverim: quod explicatio mea Intentioni Sp. S. in S. Literis loquentis, reſpondeat, an non?

Verum ego non dubito: quin tu vir M. R. jam mentem Domini cognoſcas! His itaque omnibus rite, citra ullum calumniandi aut injuriis afficiendi animum, pieque conſideratis: facile invenies: *Cur opus fuerit ad ipſam eſſentialem DEI voluntatem recurrere?* licet etiam in lege Morali ad hominum mores ſpectante, voluntatem DEI revelatam habeamus, ex qua omnino *καθ' ἑρμηνείαν* demonſtratum eſt: *Formulam* trimembrem præciſe omnes homines obligare. Si enim vos vobis arrogatis in re illicita, ut quis ſuo abundare poſſit Senſu: Cur non etiam mihi hoc eſſet conceſſum in re adeo ſancta & quidem licita? Et licet veſtri Majores hoc non obſervarint; tamen Vos ex meis Scriptis hoc melius obſervandi anſam habetis ſufficientiſſimam: ut convicti tanto facilius voluntati Divinæ in Decalogo aut alibi patefactæ, moremgeratis. Quare opus eſt: ut, Formulam benedicendi Num. VI, 24. 25. 26. expreſſam, non in Lege poſitiva; ſed morali Divina contineri, agnoſcatis: uti ego in priori mea Epiſtola demonſtravi hisce verbis: "*Tamen concedere coguntur: quod etiam perquam multa Moralia ibi inter-*"*cedant, quæ quaſi fundamentum & Cauſa minus principalis Ceremonialium* "*fuere. Erant enim Ceremoniæ pictura Cultus interioris, DEO, a nobis* "*præſtandi, juxta Dieteric. Inſtit. Catech. p. m. 76.* quod etiam in omnibus Reſponſionis meæ particulis factum eſt: quoniam Moralia etiam in Ceremoniis dantur & retinentur. *Dieter. Inſt. Cat. p. m. 64.* adeoque jam ſatis probatum eſt: Formulam iſtam non tantum Aaroni & filiis ejus; ſed etiam omnibus Hominibus, vel ſaltem Miniſtris Eccleſiæ N. T. eſſe præſcriptam. Hinc Ipſe videas, Vir M. R. cum aliis Tibi conſentientibus.

ubi exitum ex hac Controverſia inveniatis.'

Sane ſi ego Summatim dicere deberem: tunc poſſum dicere: *Niſi receperitis Formulam benedicendi trimembrem; tunc quocunque vos vertatis; ex hoc Argumenti Veſtri Labyrintho exitum haud inventuri eſtis.*

Quid autem de nulla vola & veſtigio, unici Exempli hujus Formulæ à Chriſto & Apoſtolis adhibitæ

hic addis ; illud jam eſt discuſſum *in Meditat. Theol.* §. 17. , quam legere potes , ſi placet.

Sed quid Pontificii cum ſuo: Dominus vobiſcum! hic adrem? & quid allegatio des kleinen und groſſen Segens ; quæ Regiomonti in uſu eſſe a te perhibetur ?

Num per den kleinern Seegen legitimas Benedictionem veſtram bimembrem? Hoc nunquam demonſtrabis ! Nam der kleine Seegen in Pruſſia vocatur : Paulina iſta : der Friede GOttes &c. ea & his in Regionibus eſt in uſu: ut finita Concione e Cathedra Eccleſiaſtica pronuncietur, etiam a Studioſis, officio benedicendi non fungentibus. Ergo unum idemque cum Benedictione trimembri, Ordini Miniſterii demandata, eſſe debet? quod non ſequitur. Ita vos exitum e Labyrintho non invenietis ; quocunque vos vertatis! Quare faxit DEUS! ut ſicuti Tu Vir M. R.

enumerata mea argumenta ſub finem Epiſtolæ meæ prioris, pro recipienda vel potius introducenda Benedictione trimembri, non impugnas

etiam cœtera Argumenta mea, in hac Controverſia adducta, in poſterum impugnandi animum non haberes ; ſed potius ea pie perpendendo & ruminando, gratum ex iis erga Benedictionem trimembrem, Benevolentiæ Saporem ſentires, eaque tanquam Donum DEI ſuperne mihi datum agnoſceres. Tunc non erit: quod de tua benevola inclinatione ad Formulam trimembrem dubitem ; ſed potius ſperem: Te, uti primas jam tenes in ordine M. R. Dominorum Præpoſitorum, etiam primum futurum in recipienda & introducenda iſta Formula.

Iſtud tantum prolixitatem & ambiguitatem non parvam præ ſe ferre videtur: quod dicis:

Te quoad hoc, totum a nutu Sereniſſimi Principis ac Domini mei Clementiſſimi, tanquam Eccleſiæ veſtræ Provincialis, Orthodoxæ, Epiſcopi Supremi, & ſub felicibus ejus auſpiciis (DEO volente) cogendæ Synodi venerabilis, pendere, etiam a me, non monitum.

Nam etiamſi via hæc vobis non eſſet præcluſa ; tamen Tibi Vir M. R. haud erit ignotum : quantum fructus ex tali Synodo vos eſtis percepturi? cum univerſa Eccleſia Lutherana hac Formula utatur:

&

& multi Dominorum Paſtorum: imo innumeri piorum Auditorum per totam Regionem, introductionem hujus Formulæ, quaſi ſitibundi expectent

Quocirca tamen ulterius inquirere nolo: quid per Eccleſiam veſtram Orthodoxam Provincialem innuas? neque etiam cogitare: quod eam alii cuidam Heterodoxæ in his Regionibus opponas. "*Nam ſi bonus interpres nunquam Tua verba nocebunt! Libertati veſtræ* "*Chriſtianæ libenter ſum parciturus:* quantum per veritatem rei fieri poteſt, quod etiam hactenus feci.

Cæterum pro impertito mihi, ex Benevolentia Tua profecto, voto, maximas Tibi Vir M. R. rependo grates! reciproce a DEO omnis Salutis veræ, fonte inexhauſto, ex animo Tibi apprecando, omnigenam Proſperitatem, felicitatem, imo realiſſimum Benedictionis trimembris Effectum, ad corporis animæque incolumitatem & ſalutem! Denique ad Tuas nuperrimas d. 16. Jan. literas tantum reſpondeo: quod nil reſpondeam: quoniam mihi iſtud placet: *Manum* de Tabula! etiamſi me, injuriarum & calumniarum vobis illatarum reum facias: adeoque ego me exculpandi, & ea, quæ Tu, Reſponſione indigna æſtimas, vindicandi cauſam urgentiſſimam habeam; tamen iſte morſus mihi non nocere debet: quoniam in hac cauſa DEUM habeo juſtiſſimum Arbitrum, qui, a quo Jus ſtat, ab eo etiam ſtabit, *Quare Manum de Tabula* & committamus DEO & tempori totam hanc cauſam: & attendamus cujus Toni in fine ſit reſonatura. Vale interim cum Tuis chariſſimis, & fave

M. R. D. Tuæ

Piltini,
d. 20. Jan.
Ao. 1720.

peramenter perſeveraturo ad quævis Charitatis officia
in Chriſto devinctiſſimo

Chriſtophoro Sennerto,
Paſt. Pilt.

TRI-

TRIPLICA.

Gratiam & Salutem in CHRISTO!

Admodum Reverende, Clariſſime atque Doctiſſime
Domine Paſtor, Frater in CHRISTO conjunctiſſime!

NOn mirum eſt: nos in Definitione Formulæ benedicendi utriusque, ſcilicet tam bimembris, quam trimembris, non æquale trahere filum: cum pulchra cuique ſua ſit Helena. Tibi placet Subjectum benedicens conſtituere ſolum Paſtorem; mihi autem ex una parte Paſtorem, ex altera vero cœtum Chriſtianum, qui Benedictionem Paſtoris ſibi fideliter applicat: idque per vices. In membro priori Paſtor pro Objecto habet cœtum, cui benedicit; in poſteriori cœtus pro Objecto habet ſe ipſum (non excluſo ipſo Paſtore) ſibi ipſi benedicendo; quod nihil vitii habet. Neque abſurdum eſt: populum ipſi Sacerdoti Benedicere, ſicuti Regi Salomoni populo benedicenti, populus viciſſim benedixit *1 Reg. VIII, 66.* Sed neque monſtroſam putes eſſe mixturam precum & votorum in Benedictione. Utraque enim Benedictione convenientem ſibi occupant locum. Sane Benedictio ab Adami in P. I. Del. Evangel. Autore non contemnendo, diſpeſcitur in *Euchariſticam* & *Votivam.* Nulla igitur Fallacia Compoſitionis eorum, quæ dividenda erant, laborat mea Definitio, ut mihi impertinenter objicis. Pari ratione genus Definitionis a me traditæ ſugillas, quia cerebri tui conceptui non concordat. Sane non ex humano cerebro excogitata ſunt verba Benedictionis bimembris. Sunt enim pars maxima ipſius Benedictionis trimembris; niſi, quod conceptu diverſo, & jucundo quodam alternationis ritu, utrinque pronunciantur, qui ritus a nobis non eſt inventus; ſed jam ab initio Lutheraniſmi in Eccleſia Livonica & noſtrate obtinuit, neque falſis tuis principiis atheologicis labefactari poterit. Atque ſic in Te ipſum recidit Fallacia ſeu Elenchus Principii, quem mihi imputas. Neque te liberabis a fallacia toties a Te commiſſa Ignorationis Elenchi, ſeu (ut loqui amas) Quæſtionum, quamdiu chorda

chorda oberrabis eadem, nos pro Adverſariis Benedictionis trimembris ventitando, pro qua nobis illata injuria tibi a DEO ignoſcenda, cum Salvatore ſupplicamus. *Luc. XXIII*, 34. Atque hujus farinæ calumnia quoque iſta eſt: quod nos inſimulas: quaſi ſuper Benedictionem & inſtitutionem Divinam diſpenſare velimus. At vero ordinationem Formulæ Benedictionis Aaronicæ nos in N. T. obligare negamus, quod dum Tu econtra aſſeris, quis non videt, Te falſo niti principio? Ubi ſimul data opera fallacia ignorationis Elenchi, & plurium Interrogationum ludis, dum nobis imputas ἀνθιλογίαν, quæ tamen ſaltem apparens eſt, cum verſetur circa res compatibiles. Opponis enim ſibi contraria ea, quæ ſimul optime ſtare poſſunt: nimirum: *Nos non* obligari Formula Aaronica; poſſe tamen ex libertate Chriſtiana eandem recipere. Aliud autem eſt poſſe, aliud debere, quod licet toties incultatum, Te neſcire ſimulas, idque agis: ut a Statu Controverſiæ me abducas. πρῶτον autem ψεῦδος, in quo totius diſſidii noſtri Cardo vertitur, eſt Hypotheſis tua, de formulæ benedicendi Aaronicæ neceſſitate morali, cui ex parte noſtra obſtat, libertas utendi vel illa, vel bimembri formula in Eccleſiis noſtris hactenus uſitata. Quis igitur hic nobis Arbiter implorandus? An Definitionem de Cathedra Petri expectabimus? Minime vero! ſed ſuo quemque Senſu abundare patiemur, donec a judicio Eccleſiaſtico Orthodoxo decidatur hæc a Te mota Controverſia. Medio autem temporis intervallo libettate fruemur per Chriſtum nobis parta, ſub umbra alarum ipſius ψευδαδέλφοις ἀδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν ὑποταγῇ *Gal. II*, 5. Tantillum hac vice Tibi ad Literas priores repoſuiſſe ſufficiat! ad præſentes autem, quæ ob nimiam prolixitatem & confuſionem maximam vix perlegi a me hoc veſpere potuerunt; ut & antecedaneas, nihil magnopere Reſponſione dignum continentes, reſponſa dare, & omnia ad vivum reſecare officii mei faſces haud permittunt; poſſuntque bonæ iſtæ horæ utilius collocari, quam ad hujusmodi lites fructu carentes. Miſſis igitur inutilibus, licet ſpecioſis illis τερίσμασι de balænarum captura, quibus Epiſtolam tuam priorem inchoaſti, retia noſtra laxemus non in capturam tranſitoriæ gloriolæ; ſed animarum curæ noſtræ concreditarum, ut ſervemus & nos ipſos,

&

& eos, qui nos audiunt. Valere interim Te ex animo jubeo & favere.

Admod. Rev. D. Tuæ

Fratri in Christo sincero

Goldingæ,
D. 16. Jan.
ao. 1720.

Bernh. Joh. Neresio,

VIRO
Admodum Reverendo, Clarissimo atque Doctissimo Domino, Domino Christophoro Sennerto, Ecclesiæ Christi Piltinensis Pastori dignissimo. Fratri in Christo perquam dilecto atque colendo pateant hæ

Piltini in Parochia.

EXTRACT
Aus
Des Herrn Præpositi Grobinensis & Pastores Libavienſis Michael Rhode,
An
Den Herrn Superintendenten nach Mitau abgelaſſenem Schreiben / in welchem Er sehr atheologicè von denen Meditationes Theologicis, judiciret.

ICh vermuthe / daß Sie Uns haben sehen lassen: was für wunderliches Zeuges der gute Herr Pastor Piltinensis zu Marckte bringe; seine eigene propria authoritate geschehene Mutation in formula benedicendi (welche auch in der geschriebenen Piltenischen Kirchen-Ordnung expressis verbis, so wie wirs bißhero gebrauchet / vorgeschrieben) zu behaupten. Weil Ich dann Dero gütigem Verlangen nach / meine Meynung eröffnen soll: so

ſo thue Ichs / wie GOtt weiß / aufrichtig / und rathe Ew. Hoch-Ehrw. treulich: die Schrifft viel lieber zu ſupprimiren / als weiter zu divulgiren / weil dieſes weder Eur Hoch-Ehrw. noch unſerer Kirchen zu Ehren gereichet / wann es in mehrere Hände gerathen ſolte. Die Urſache meines wohlgemeynten Rahts iſt (1.) Weil Eur Hoch-Ehrw. in dieſer Schrifft theils tectè, theils oppido angeſtochen wird. (α) tectè denn Er rethoriſiret §. 2. von der Diſcordia ex Concordia orta de animo hominis ad diſcordiam proni. §. 3. kommet Er ad Miniſterium noſtrum, und meldet / wie auch Ihm zu Ohren gekommen der rumor, quod diſcordia ex Concordia in Miniſterio noſtro orta ſit.

Eur Hoch-Ehrw. erwegen doch / wem Er dieſes Crimen diſcordiæ beymeſſen möge / Uns Præpoſitis, oder Eur Præcellenz, und dieſes iſt tectè wider Sie / (β) Oppidò. Er gehet weiter / und geſtehet §. 21. in modo hujus reductionis ſc. formulæ ex Num. 6. 24-26. non omnia eſſe obſervata, quæ boni ordinis cauſa & ad evitationem comperti illius ſcandali, offenſionisque apud multos obſervanda fuiſſent, &c. welches Sie Ihm doch nicht geſtehen oder einräumen werden.

Es muß aber auch Unſere Kirche von Ihm Hn. Paſtor Sennert (welches von einem Lutheriſchen Prediger gewißlich unverantwortlich iſt) ein hartes leiden. Sintemahln Er vermittelſt ſeines unerweißlichen Satzes: quod formula benedicendi ex Num. 6. 24-26. non ad Legem ceremonialem; ſed moralem pertineat (quod tam falſum, quam quod falſiſſimum) ſtillſchweigend per bonam Conſequentiam, zu beſtärcken ſuchet / daß nicht allein die gottſeelige Reformatores und Fundatores Unſerer Kirchen / und die Authores der Kirchen-Ordnung auf alle Gemeinen / über welche der bißherige Seegen geſprochen worden / wiſſentlich einen Fluch gebracht / weil ſie nemlich das göttliche Moral Geſetz / vorſetzlich geſtümmelt / ſondern daß auch wir alle / die wir dieſen Seegen laut der Kirchen-Ordnung gebrauchet / mitgetheilet und empfangen haben / ſind biß dato unter dem Fluch geweſen. Denn wer das Moral-Geſetz verändert / und ſtümmelt (welches alle Menſchen ſub pœna maledictionis, verbindet) der ladet den Fluch auf ſich. Erſchreckliches Aſſertum! da ſtillſchweigend behauptet wird: daß wir in Unſerer Kirchen / an ſtatt des Seegens / den Fluch biß hieher gehabt. Und ſolche ungereimte Dinge flieſſen aus dem Untheologiſchen Aſſerto: quod formula benedicendi ex Num. 6. 24-26. ad Legem moralem gehöre / und ſo wenig könne geän-

dert werden / als ipſa Lex moralis quoad doctrinam & obedientiam, wie Er §. 14. & fin. rethoriſiret. Ich wolte mich gerne von dem Hn. Paſtor Sennert belehren laſſen: quia Lex moralis eſt Doctrina, Hominis menti &c. ixta Dieteric: noſtrum vel ipſis pueris in trivio notum: Wenn und zu welcher Zeit dieſe Seegens-formul ſey gegeben? Ob ſie dem Menſchlichen Hertzen in der erſten Wunder-Schöpffung mit göttlichem Finger eingeſchrieben? Ob ſie auf dem Berge Sinai wiederholet? Ja ob ſie vor Aufrichtung der Stiffts-Hüte und Stifftung des Levitiſchen Miniſterii von einem einigen Patriarchen jemahls ſey gebrauchet worden? So möchte ich auch gerne wiſſen / (weil das Moral-Geſetz Gebohte und Verbohte in ſich begreiffet / und lehret / was NB. wir Menſchen durchgehends thun oder laſſen ſollen) was doch in der Seegens-formul: Der HErr ſeegne ꝛc. und wie die übrigen beyde Commata lauten / enthalten ſey: ein Geboht / oder Verboht. Jedoch - - -

